DAVID GEORG STRUBEN
COMMENTATIO
DE
ORIGINE NOBILITATIS GERMANICÆ ET PRÆCIPUIS QUIBUSDAM EJUS JURIBUS.

Reviſa & ob raritatem recuſa.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE



JENAE,
IMPENSIS GEORGII MICHAELIS MARGGRAFII
A. O. R. MDCCXXXXV.

Digitized by Google

SECTIO I.
DE
ORIGINE NOBILITATIS GERMANICÆ.

Caput I.
De origine & Indole nobilitatis in genere.

§. I.

Priusquam humanum genus, deſerta libertate naturali, compages illas, quas civitates appellamus, efformavit, diſtinctio inter nobiles & plebejos procul dubio fuit incognita; quoniam enim in ſtatu naturali homines inter ſe omnino ſunt æquales, in illo nec nobilitas locum invenire potuit, utpote quæ quibusdam præ ceteris non leves tribuit prærogativas, & ita æqualitati e diametro eſt adverſa. Quanquam

In ſtatu naturali homines inter ſe omnino ſunt æquales & proinde nulli nobiles.

Digitized by Google

quam enim non negem fuiſſe etiam primis illis temporibus qui reliquos virtutibus animi vel corporis antecellerent, vel ſuperarent opibus, aut majoribus præ aliis clari, vel ætate provectiores forent; hæc tamen omnia, ſi unice ad rationis decempedam res exigitur, æqualitatem evertere haud valent.

Non enim virtus quibusdam tribuit prærogativam

§. 2. Eſt quidem procul dubio nihil ita præclarum & omni laude dignum quam virtus, quæ ad proportionem humanæ naturæ congruentem ſervandam eamque perficiendam tendit, & amorem ac vitalem bonitatem erga ſe ipſum & reliquos homines includit, [a] cui, qui operam dant cæteris omnibus, quantis etiam polleant opibus, vel abundent ingenio, aut natalium ſplendore niteant ſunt præferendi (b), utpote id, quod præſtantiſſimum eſt, & voluntati divinæ imprimis congruit, quærentes, cum reliqua bona omnia ſine virtute hominem vere felicem reddere haud poſſint, ſed potius, ſi illis non recte utatur, uti raro fit, ad deſtruendam felicitatem humanam apta ſint. Quid? quod eorum poſſeſſio non ex cujusque dependet arbitrio, ſed ut plurimum fato attribuenda; cum e contrario veram virtutem in coercitione pravarum appetitionum & abjiciendis præjudiciis conſiſtentem nemo habeat natura neque per hereditatem transmittatur, ſed magna ſolicitudine & cura ſit acqui-

(a) vid. eximiæ vir eruditionis & acerrimi ingenii NIC. HIERON. GVNDLINGIVS in via ad veritatem part. 2. Cap. 9. 10. 11.

(b) vid. B. HERTIVS JCtus præſtantiſſimus longiori vita dignus diſſ. de Feudo nobili Sect. 1. §. 2. Illuſtr. COCCEIVS diſſ. de poteſtate ſtatuum Imperii circa dignitates Cap. 1. §. 4. 5. TIRAQVELLVS de nobilitate Cap. 2.

Digitized by Google

quirenda. (*c*). Si itaque in abſtracto res conſideratur, virtutem eſſe fundamentum genuinæ nobilitatis ambigi nequit. Verum in concreto & applicatione innumeræ occurrunt difficultates, quibus fit, ut regula ipſa uſu careat. Deficit enim in hoc mundo Lydius lapis, quo virtus ſolida & vera ab apparente accurate poſſit diſcerni; multi dicuntur qui non ſunt, neque externi actus ſemper indicant, quid in intimo cordis geratur. Id quidem certo ſcimus eſſe improbum, qui improba perpetrat, non autem vice verſa in expedito eſt inviolabili mentis rectitudine gaudere, qui talem ſe præbet, & externos actus cohibere poteſt, ne erumpant. Imo non pauci, quorum vita, quatenus in oculis hominum verſantur, vituperari nequit, in tenebris pejora perpetrant, quam alii, qui peſſime audiunt, quoniam non ita caute agere & affectus ſuos occultare ſciunt. Sunt e contrario quos livor & malitia vel inconſiderata judicia hominum velut impios, profanos ac exſecrandos traducunt, quanquam integerrimi ſint mortalium, quod exemplum ipſius Salvatoris noſtri nos docet, cui licet plane inculpato graviſſima crimina imputare non erubuerunt Judæi, optimas eius actiones detorquendo & in peſſimam partem interpretando (*d*). Et denique licet

(c) vid. Doctiſſ. CLERICUS de l' incredulité partie II. Chap. 1. §. 5.

(d) Segetem exemplorum nobis impertit Hiſtoria Eccleſiaſtica: ipſos enim Eccleſiæ patres, quos tanquam ſanctos veneratur totus fere orbis Chriſtianus, ſæpe Spiritu caritatis ac moderationis caruiſſe, & imprimis ambitione aut avaritia laboraſſe, e contrario autem hæreticis multa crimina falſo eſſe afficta, notarunt acutiſſimus CLERICUS dans la Bibliotheque univerſelle & ſpeciatim in vitis Cypriani, Euſebii Pamphilii, Prudentii, & Gregorii Nazianzeni, vid.

cet demus poſſe accurate diſcerni qui virtuti operantur, ab iis, qui vitiorum laqueis irretiti maneant, pauciſſimi tamen in hac corruptione ad ſummam perfectionem veniunt, ſed maxima pars ſolummodo invia eſt, ubi nonnulli progrediuntur ocynus, alii tardius proficiunt; Inter hos autem certos gradus definire & ordinem conſtituere plane erit impoſſibile. Habebit ergo inprimis hic locum vulgatum illud: *non eſſe & non apparere ſunt in moralibus unum itemque.* Ex iisdem rationibus ingenii ſolertia, qua quis reliquis ſe antecellere putat, in ſtatu naturali nullam tribuit prærogativam. Eadem enim obſcuritas adeſt. Quilibet optima de ſe ſentit, & viliſſimus ſervus ſi a domino reprehenditur promptus eſt in excuſationibus obtendendis, cum ſe ſatis ſagacem putet, ut illi fucum facere poſſit; nec negari poteſt ſæpe ſub ſordido palliolo ſapientiam latere, e contrario autem defectum judicii ſanioribus valde prodere, qui magna fama in republica ad clavum ſedent, in Eccleſia adorantur, & in ſcholis tanquam lumina ſplendent. Unde quamquam certo certius ſit, magnum eſſe diverſitatem inter homines, quoad facultates animi, non tamen inde natura diverſitas honorum oritur; quoniam ad liquidum perduci nequit, quatenus unus alterum antecellat, nec adeſt in ſtatu libertatis judex, quo per ſententiam lis dirimi poſſit. Multo minus potentia aut opes hic conſiderantan-

Nec ingenii ſolertia.

Nec potentia.

vid. quoque ejus diſſert. de argumento Theologico ab invidia ducto Clar. BARBAYRAC. præf. quam præmiſit Pufendorfii oper. de Jure naturæ & Gentium egregie in linguam Gallicam translata p. 58. 55. ARNOLD in der Kirchen und Ketzer-Hiſtorie, Id. in der Abbildung der erſten Chriſten, & OBSERVATORES HALENSES Tom. I. obſ. 12. 23. 24. Tom. II. obſ. 7. 8. Tom. III. obſ. 18.

randæ veniunt, quæ quidem ſæpius in cauſa ſunt, ut alii ex metu potentiori primum locum per pactum vel expreſſum vel tacitum cedant, per ſe autem nullam tribunt dignitatem, cum viliſſimo & ſceleſtiſſimo cuique fortunæ munere obvenire poſſunt (*e*) (*f*).

Nec antiquitas. §. 3. Quod denique ad antiquitatem attinet, certum eſt non raro in controverſiis, quæ inter liberas gentes inter ſe in ſtatu naturali viventes, de proedria ſunt ventilatæ ad illam eſſe provocatum (*a*). Et negari nequit gloriæ, quam parentes vel majores acquiſivere, quodammodo participes fieri liberos, illorumque egregia facta haut levem poſteris conciliare exiſtimationem, ut proinde qui regium decus vel aliam dignitatem prius acquiſiverunt, & conſequenter plures heroas recenſere poſſunt, videantur præferendi illis, qui recentiori tempore ad ejusmodi faſtigium pervenerunt. Non minor veneratio debetur ætati ſenili, experientia, quæ cognitionis noſtræ fundamentum eſt, præ junioribus ut plurimum pollenti. At vero obligatio ad venerandos ſe-

(*e*) vid. PUFFENDORF. de jure naturæ & gentium lib. 8. cap 4 §. 18. COCCEIUS diſſ. de præcedentia §. 13. Doctiſſ. BŒHMER jur. public. univerſal part. ſpec. lib. 1. Cap. 3. §. 22. not. l.

(*f*) Horrendum eſt SPINOZAE dogma, qui in tr. Theol. Polit. Cap. 2. §. 4. aſſerit eſſe juris naturalis ut potentior infirmiorem ſupprimat, de quo vid. Ulric. HUBERUS doctiſſ. Belga in tr. de jure civitatis Lib. I. Cap. 4. Celeb. GUNDLING. diſſ. ſtatus naturalis Hobbeſii in corpore juris civilis defenſus §. 18.

(*a*) Allegavit hanc Gallicus legatus contra Anglicum cum Stumsdorfii de pace inter Polonos & Suecos concilianda Ao. 1635 ageretur; cui optime regreſſit Anglus: omnes Reges eſſe pares, nec curare ſuos ſi aliquæ prærogativæ Gallis a Pontifice Rom. ſint tributæ, utpote cujus jugum jam diu excuſſerint Angli vid. PUFFENDORFIUS rer. ſuecic. Lib. 7. 137.

nes ex regulis virtutis, vel, ut aliis loqui placet, dedecori fluit, nobis jam de jure ſtricto ſermo eſt, quod hæc præcepta non agnoſcit. Quæ enim conſecutio? ego natu major ſum, vel majores mei per longius tempus in his terris ſunt commorati, vel primus remp. condidi E. teneris mihi cedere. Quam connexionem anni cum dignitate habent? refellit hæc quotidianus uſus & non exigua ordinum converſio evenire deberet, ſi ætas dignitatum norma eſſet. Quam tribuit prærogativam tempus commorationis vel conditæ reipublicæ? optime PUFFENDORFIUS (*b*): *Antiquitas in ſe nihil habet dignitatis, cum ea nihil notet quam tractum durationis, quæ vilem æque ac præſtantem rem poteſt proſequi.* Nec quod tam diu ſe gens conſervaverit ſemper indicium eſt virtutis civium vel regum, ſed hæc maximam partem dependent a ſitu, diſpoſitione vicinorum & innumeris accidentalibus (*c*). Imo ut plurimum majora ingenia, magisque imperterriti animi deſiderantur ad condendam rempublicam, quam conſervandam, ſi bene condita eſt. Unde videmus imprimis celebrari & maximis efferri laudibus qui reſpublicas & regna noviter inſtituerunt vel reſtaurarunt, præ iis, qui ſolummodo parta tuentur. Nec ea, quæ Frid. Herm. CRAMERUS (*d*) nuper adduxit, ut probaret regum & ſummarum poteſtatum ordinem a tempore eſſe definiendum, ejus mihi ponderis videntur, ut PUFFENDORFIUM deſerendum exiſtimem Prima ejus ratio eſt: *Reges ad unum omnes vicaria numinis,*

Confutatur Cramerus.

(*b*) De jure naturæ & gentium lib. 8. cap. 4. §. 17.
(*c*) PUFFENDORFIUS c. l.
(*d*) In centuria concluſ. juriſprud. univerſalis concluſ. 64.

Digitized by Google

minis ſupremi poteſtate, adminiſtrationi reipublicæ præeſſe, omnesque inter ſe pares. E. Non poſſe aliunde ordinem decidi, quam a tempore. Verum ſi ex ipſa ſententia Dn. CRAMERI eſt omnimoda æqualitas inter liberas gentes, earumque imperantes, fruſtra ſolicitus eſt de fundamento, quod inæqualitatem inducat. Nihil enim prohibet, quominus magnus hominum numerus una vivere poſſit, ſine ulla honorum diverſitate. Quotidiano exemplo hoc comprobant plurimæ Academiæ, in quibus multitudo ſtudioſorum, quorum haut exigua pars ingenuæ originis eſt, hoc modo vivit, & tamen multo rariores ſunt licet de præcedentia inter juventutem alias ſatis rixoſam & in minimis ſcrupulos quærentem, quam in bene conſtitutis rebuspublicis, ubi ordo ſollicite obſervatur (*e*). Imo æqualitatem eſſe aptiorem ad lites præſcindendas quam excitandas, inde clarum eſt, quod ipſe gentes, ut controverſias de proedria evitent, ſæpius hanc amplecti debeant, uti adhuc nuper cum Ultrajecti de pace pangenda ageretur, & jam antea in variis negotiationibus factum eſt. Et denique licet largirer, quod tamen ſecundum modo adducta largiri non poſſum, ejusmodi æqualitatem, ob pravos hominum affectus, multis incommodis non carituram, ac proinde melius eſſe, ut certus ſit ordo, ſecundum quem unicuique ſuus aſſignetur locus & dignitas, qua aliis præferendus ſit vel poſtponendus, nihil tamen inde ſequeretur, quam prudenter & non ſine prægnantibus rationibus diſtinctionem eſſe introductam, & æqualitatem, quæ natura obtinuerat, deſertam; minime vero quod citra pactum quibus-

Digitized by Google

dam proedria debeatur, non magis ac in ſtatu naturali alicui jus competiiſſet, condere imperium & reliquos ſibi ſubjicere, ſi non homines ipſi per pacta naturali libertati renunciaſſent, cum tamen procul dubio multo majora incommoda comitentur ſtatum Anarchicum quam æqualitatem. Quod ſi enim ea, quæ non ex omni parte ſunt perfecta, ſed litibus occaſionem dare poſſunt, nullo modo eſſent ferenda, in rebus humanis maxima mutatio ſuſcipi deberet. Secunda ratio, quam ad fulciendam theſin adduxit Dn. CRAMERUS, eſt: *Regem tempore priorem eo ipſo jus dignitatis eique connexi ordinis habere quæſitum, quod Rex noviter factus ei citra injuriam auferre nequeat, quoniam prior tempore ſit potior jure.* Verum hæc non minus vacillare videtur. Regula enim quod prior tempore ſit potior jure plane huc non pertinet. Eſt ſaltem illius ſenſus, jus v. g. pignoris, quod alicui conceſſum eſt, per poſteriorem conceſſionem alii factam non poſſe reddi deterius. Ita bene ſe habet, & ſic quoque accipitur in Jure Romano *l. 15. C. de pignor. l. 2. C. qui potiores in pign.* Poſſet quoque locum habere in eo caſu; ſi v. g. duarum civitatum inter ſe æqualium legati in loco tertio convenire deberent, ubi ſi primus veniens priorem locum occuparet, ab altero ea vice ſine injuria non poſſet dejici; quoniam ratione ejus loci utrique æquale competeret jus, unde prior tempore potior eſſet jure. Verum in noſtro caſu hoc applicari non poteſt, niſi probetur prius tempus habere connexionem cum dignitate, & per priorem acquiſitionem regni acquiri jus præcedentiæ præ illis, qui ſerius id obtinuerunt, quod ſupra cum

Pv-

PVFENDORFIO & aliis negavimus. Potius dicendum, ſi civitas vel regnum noviter conditur, eadem illud acquirere jura, quibus reliqua gaudent imperia, & ideo eosdem illi competere honores, ſi non ex peculiaribus rationibus quibusdam, ſicuti ut plurimum fit, renunciaverit.

§. 4. Atque adeo ſatis probatum videtur optime rationes ſubduxiſſe ULPIANVM *l. 32. de R. J.* quando ait: *quod attinet ad jus civile ſervi pro nullis habentur, non tamen & jure naturali: quia quod ad jus naturale attinet, omnes homines æquales ſunt.* Antequam vero ulterius progrediamur, unicum, quod adhuc ſupereſt, dubium removendum erit; poſſet enim quis objicere, quotidianam experientiam noſtram theſin falſitatis arguere, dum inter Reges & liberas gentes æqualitatem plane exulare & multo magis acerrimas lites circa præcedentiam agitari quotidie videamus. Verum hæc objectio nos non ferit, cum hanc diverſitatem honorum non natura conſtituat, ſed ex pactis vel expreſſis vel tacitis ſit derivanda. Diximus ſupra potentiam per ſe nullum tribuere jus, dare autem ſæpius occaſionem ut alii juri ſuo in favorem potentioris renuncient; inde quoque factum, ut infirmiores, qui non audebant illos irritare, quibus reſiſtere non valebant, potentioribus cederent, nec eundem cum iis honorem poſtulare conarentur, quod quandoque expreſſe, ſæpius tacite per acquieſcentiam declararunt. Hæc unica ratio eſt præcedentiæ, quam Imperator Romano Germanicus hactenus fere ſine contradictione præ omnibus Regibus & rebuspublicis Chriſtiani

Indagantur rationes inæqualitatis quæ inter liberas gentes obſervatur.

orbis obtinuit (*a*). Illam jam acquiſiverunt Romani adhuc libera republ. ob inſignem omnibusque formidandam potentiam. Tranſiit ad Imperatores, & ab his ad Germanos, quibus itidem ob potentiam, qua pollebant, nemo illam controverſam reddere auſus eſt. Jam vero licet valde decreverint vires, tamen hoc jus conſenſu omnium ſemel acquiſitum, non citra ſummam injuriam Germanico Imperio denegari poteſt. Similiter cum ſeculo XIV. XV. Carolo V. & Philippo II. imperantibus potentia & opibus Hiſpani prævalerent, hi ubique, imprimis autem in Italia Pontifice cooperante, maximos honores ſibi vindicabant, & quamdiu propitiam experiebantur fortunam, omnes faſtu ſuperabant; verum mutata eſt alea quando illorum imperium ad occaſum vergere incepit, ita ut cum Caroli II. legatus in Anglia Battevillius legato Gallico præcedentiam diſputare vel auderet, Rex Hiſpaniæ metuens, ne Gallus, cui viribus par non erat, inde occaſionem belli arriperet, ſolenniter tali ratione, quæ dignitati ſuæ minime erat proficua, declarare coactus ſit, legatos ſuos nullis ſollennibus & actibus, ubi cum Gallis coocurrere poſſent, impoſterum interfuturos (*b*). Quandoque principes non adeo potentes ob fœdera cum potentioribus, vel quia potentiores illis opus habent, eximios honores obtinent (*c*). Præter potentiam etiam Pontifici Romano adſcribendum eſt, quod non iisdem honoribus & gradu fruantur Principes. Illius enim tanquam

(*a*) Ill. COCCEIVS diſſ. de præcedentia § 6.

(*b*) THEATRVM EVROPAEVM part. 9. pag. 778.

(*c*) Conf. JACOBVS BRVNNEMANNVS diſſ. de jure Ceremoniali circa legatos §. 9.

quam communis patris tanta olim fuit auctoritas, ut non repugnarent ejus judicio ſubmittere, quo ordine incedere deberent. Fuit enim ſemper, & adhuc eſt. curia Romana circa ceremonias exactiſſima, quarum curam peculiari cuidam collegio commiſit (*d*) Unde eſt, quod in ejuſcemodi controverſiis ſæpiſſime ad deciſionem pontificis vel locum quem quis in capella Laterana obtinuerit, ſit provocatum (*e*) Fuere & nonnulli principes inprimis Itali ita ſagaces, ut honores ſibi peculiariter ab aliis ſtipularentur: quod a Florentinis factum ex itinerario Danielis Eremitæ refert CAESARINVS FVRSTENERIVS. (*f*)

Ex conſtitutione civitatis fluit diſtinctio inter nobiles & plebejos, quatenus nobilitas continetur officiis.

§. 5. Sublata autem procul dubio hæc æqualitas eſt, poſtquam ad civitates conſtituendas deſcenderunt homines, ſeque Imperio civili ſubdiderunt. Quoniam enim eſſentia ejusmodi machinæ politicæ in eo conſiſtit, ut ſint imperantes & parentes, hinc natura rei deſiderat, ut illi qui regimen tenent, & præcipuam Reipublicæ curam gerunt, ſint nobiliores (*a*) & honoratiores plebejis, quibus obſequii

(d) vid. BRUNNEMAN cit. diſſ. §. 4. Conf. Celeb. GUNDLING in via ad veritatem part. 3. Cap. 5. §. 15.

(e) Exempla ſuppeditat ſpecimen hiſtoriæ arcanæ ſive anecdotæ de vita Alexandri VI. Papæ ſ. excerpta ex diario JOH. BURCHARDI quæ editor Ill. LEIBNITIUS Germaniæ decus in præfatione notavit.

(f) Sive Ill. LEIBNITIUS in tr. de ſuprematu & jure legat. Princ. Cap. 55. Fuit is unicus finis legationis quam Ao. 1609 magnus Hetruriæ Dux ad potiores Germaniæ Principes miſit, quanquam alium obtenderet.

(a) Quando ZIEGLERUS in tr. de juribus majeſtaticis lib. 1. cap. 28. §. 20. iniquos in nobilitatem vocat, qui ex mero inſtituto humano illam ortam eſſe dicunt, quoniam, ut aliqua ſit perſonarum diſtin-

quii gloria eſt relicta. Continebatur ergo, quod & naturali rationi eſt conforme, nobilitas iis officiis, quæ in adminiſtranda tuendaque republica & juſtitia verſabantur (*b*), neutiquam vero a nativitate dependebat. Prudentia enim & aptitudo rempublicam adminiſtrandi, quæ unicum ejus fundamentum erat, non ſemper ad liberos transmittitur, quapropter nec dignitas eam comitans poterat eſſe hæreditaria, ſed quemadmodum non proficit filio cæco patrem ejus lynceis vidiſſe oculis, vel muto, patrem fuiſſe diſertiſſimum oratorem, ita neque illi, qui meritis deſtituuntur, de jure prærogativas, quibus parentes ob merita gaviſi ſunt, prætendere poſſunt. Eſt quidem vulgatum: *fortes creari fortibus & bonis.* Et negari nequit, præclara facta majorum poſteris incitamento eſſe ad premenda illorum veſtigia. Accedit quod magnatum liberi plerumque beneficio rectæ educationis gaudeant. Verum non minus dicitur: *heroum filii noxæ*, & maſcule apud Salluſtium de bello jugurthino pronunciat Marius: *Majores eorum omnia quis licebat illis relinquere, divitias, imagines, memoriam ſui præclaram: virtutem non relinquere. Neque poterant: ea ſola neque dono datur neque accipitur.* Innumera exempla hæc comprobant, docentque, ſæpius eos, quibus non adeo lauta domi res, culturæ animi majori ſtudio incumbere, & proinde

Quæ naturali ratione non eſt hæreditaria.

diſtinctio, ratio naturalis apud omnes gentes conſtituit, intelligendus eſt non de ſtatu libertatis, ſed civitatis, qui utique ſua natura diſtinctionem ordinum involvit, ut & de nobilitate quæ officio eſt connexa, neutiquam de hæreditaria privatis quibusdam familiis propria.

(b) Vid. Cocceius diſſ. de poteſtate ſtatuum imperii circa dignitates cap. 1. §. 6.

proinde aptiores evadere patriæ inſerviendi, quam illi, qui excelſo loco nati maximaque induſtria educati parentum potentiæ & opibus confidunt, & ideo operæ, quam artes tam belli quam pacis deſiderant, parcunt.

§. 6. Nihilominus in plerisque rebuspublicis nobilitatem ad poſteros transmitti invenimus, quod quandoque expreſſe, ſæpius tacite introductum videtur. Expreſſæ conſtitutionis cauſæ impulſivæ procul dubio fuerunt parentum merita, &, quæ affulgebat, ſpes illorum poſteros veſtigiis majorum inhæſuros; imo eo magis quemlibet ad virtutem accenſum iri, quando & laborum ſuorum præmiis poſteritatem fruituram videret (*a*). Apud plures autem gentes ſenſim nobilitatem factam eſſe hæreditariam autumo. Cum enim in ipſa pueritia, ex veneratione erga parentes, magnatum liberi & deſcendentes præ aliis in honore haberi ſoleant, facile contingere potuit, ut, quando ii itidem ad honores in republica pervenirent, tanquam debitum poſcerent, quem ex ſingulari favore & urbanitate illis exhibuerant cives honorem, ac ſibi & ſuæ familiæ peculiarem inde affererent prærogativam (*b*), eaque obtenta demum alii, per ſpecialem civitatis conceſſionem, eandem impetrarent. Etiam alia ratione hoc tacite contingere poſſe, exemplo nobilitatis germanicæ infra docebitur. Interim, quod inprimis notandum, ex hactenus allatis ſequitur, præro-

Ex quibus cauſis hoc introductum.

(a) Vid. Ulr. HUBERUS de jure civitatis lib. 2. ſect. 2. cap. 4. n. 37. 38. ZIEGLER de juribus majeſtaticis lib. 1. cap. 28. §. 21.

(b) Ill. THOMASIUS diſſ. de hominibus propriis & liberis germanorum §. 52.

prærogativam, qua nobiles gaudent, non tribuere illis naturam, ſed dependere eam unice ex arbitrio civitatis. Optime hæc expreſſit PVFENDORFIVS(c) ſequentibus verbis: *Sane enim natales nobiles præ plebejis naturaliter nihil habent eximii: ſed ea prærogativa oritur ex impoſitione & indultu civitatis, quæ conſtituit, ut certus ſtatus, cui annexa certa jura, gradusque exiſtimationis, in aliquem ſemel collatus ad ipſius poſteros citra novam collationem per ſolos natales derivetur. Qua impoſitione ſublata, vel ſplendidiſſimi natales a plebejis ne bilum quidem diſcrepabunt. Unde quando Princeps plebejum inter nobiles tranſcribit, in ipſius natura ortuque nihil immutat, nec novum aliquem vigorem ejus animo infundit; ſed jubet ipſum cenſeri ſtatu plebejis contra diſtinctio, quem una cum adhærentibus juribus ad poſteros ſuos ſit transmiſſurus.*

Concluſiones ex hactenus dictis formatur.

§ 7. Prono nexu inde fluit(1) non denegandos eſſe nobili honores ſuo ſtatui competentes, quamquam illos non mereatur. Haut enim in virtute, ſed in civitatis arbitrio, fundamentum nobilitatis poni debet, quod num prudens ſit, penes ſingulos non eſt judicium, ſed quem ſumma poteſtas, quæ civitatis mens eſt ex plebejorum numero exemit, & nobilium ordini inſeruit, reliqui cives honores nobili debitos exhibere ſunt obſtricti(a), non aliter ac illi, qui inter conſiliarios lectus eſt a principe reverentiam iſtud munus comitantem, præſtare teneor, licet minime dignus

(c) De jure naturæ & gentium lib. 8. cap. 4. §. 26. add. VLR. HVBERVS cit. loc. n. 42. 47

(a) VLR. HVBER. de jure civitatis lib. 2. ſect. 2. cap. 4. n. 33. 34. 35. 36.

Digitized by Google

dignus ſit, qui tali dignitate ornetur, & ad eam illegitimis mediis pervenerit. Sermo autem mihi eſt de externis honoris ſignis; ſerius enim venerationis affectus præcipi nequit (*b*), quo ſaniores ſaltem illos proſequuntur, qui virtuti operam dant, & animi dotibus ſunt præditi (*c*). (2) Colligimus ex dicto fundamento nobilitatis, non deteriore loco habendos eſſe, qui eam noviter acquiſiverunt, quam illi, ad quos a parentibus eſt transmiſſa, niſi per peculiares conſtitutiones, vel conſuetudines locorum his prærogativa ſit conceſſa. Non quidem cum Petro CHARRON (*d*) novos homines, eo quod illi propriæ virtuti & meritis nobilitatem debeant, iis, qui a nativitate illam habent, præferendos eſſe cenſeo. Neque enim ſemper legitimis quoque modis acquiſito ſit, & plerisque in regnis, non adeo magno pretio ſtat diploma. Sed id tantum exiſtimo, ſi ſupponamus nobilitatem non a natura

(b) Celeb. GUNDLINO. in via ad veritatem part. 3. cap. 6. §. 9.

(c) De interna illa veneratione ſermo eſt GREGORIO NAZIANZENO orat. 28 quando nobilitatem, quæ in diplomatibus & edictis Principum conſiſtit, non ante ſe in pretio habiturum dicit, quam pictam pulchritudinem duxerit laudandam, & ſimiam ceperit venerari pro leone, ob id quod leo eſſe ab aliquo jubeatur, cum ſit ſimia. Et HUARTO in ſcrut. ingeniorum cap. 16. qui nobilitatem in poſteris (qui non ipſi eam acquiſiverunt) nullitati numerorum Arithmeticorum ſimilem eſſe exiſtimat, quæ nullitas in ſe & ex ſe nihil valet, nec ſummam aliquam conficere poteſt. Verum ſi alii numero jungatur, cum oppido exauget & extendit vid. ZIEGLER de juribus majeſtaticis lib. 1. cap 28. § 22. 23.

(d) In tr. de la Sageſſe lib. 1. cap. 59. ita contra antiquam nobilitatatem declamat: c'eſt pure vanité, toute leur gloire vient par chetifs inſtrumens ab utero conceptus partu, & eſt enſevelie ſous le combat des anceſtres.

Digitized by Google

natura, ſed ab arbitrio & impoſitione civitatis dependere, iisdem prærogativis gaudere debere plebejum, in quem nobilitatis jura contulit princeps, quibus ii gaudent, quorum majores eam dignitatem itidem ex arbitrio civitatis obtinuerunt, & quæ unice ex ejus arbitrio apud illos conſervatur. Omne ſuum eſſe nobilis a voluntate principis habet, qua autem tam novus homo, quam qui multis imaginibus clarus eſt, ultra plebem evehitur. Nec nativitas nobilem illuſtriorem reddere poteſt, utpote quæ tantum loco novæ collationis eſt (*e*). (3) Quoniam non idem eſt arbitrium civitatis, ſed diverſa forma & finis ejus, diverſas producunt diſpoſitiones, hinc nobilitatis jura & exiſtimatio non in omnibus rebuspublicis eadem eſt, ſed valde varians, quæ cauſa eſt, quare generalis nobilitatis definitio dari non poſſit (*f*), ſed unius cujusque civitatis leges & inſtituta ſint inſpicienda. In rebus-

(e) Quod nova nobilitas præ antiqua contemnatur, ejus primariæ cauſæ ſunt (1) nimia liberalitas, qua in ejusmodi dignitatibus conferendis utuntur imperantes. Optime Ziegler VS de juribus majeſtaticis lib. 1. cap. 28. §. 24. Facit nimia Principum munificentia, ut contemtui exponatur, ut ſplendorem amittat, ipſe totus ordo, cui aliquis nullo ſuo merito inſeritur (2) invidia, qua tam nobiles, quam plebeji contra eos, qui nobilis titulum primi aſſumunt, flagrant. Illi ægre ferunt, æquales ſibi reddi, quos alias ſe dignitate longe ſuperare credebant. Hi autem invitis cernunt oculis, ſi quis prærogativas affectat, & ita, derelicto ordine, in quo erat, illum quaſi vilipendit. Accedit (3) peculiaris ratio in Germania, ubi fundamentum prærogativarum, quibus nobiles gaudent, in eo conſiſtit, quod a civibus originariis Germaniæ deſcendant, uti infra monſtrandum, quæ gloria, quoniam per diploma obtineri non poteſt, hinc antiquæ familiæ ſe omnes noviores immane quantum præſtantia ſuperare exiſtimant.

(f) Vid. B. HERTIVS in element. prud. Civil. part 1. ſect. 5. §. 10. Excell. VITRIARIVS inſt. jur. publ. lib. 1. tit. 20. §. 1.

buspublicis democraticis, & ariſtocraticis laxioribus electivis, uti ſunt multæ Belgi fœderati & Helvetiæ civitates, plurimæque civitates Imperiales in Germania, nobilium prærogativa non adeo inſignis eſt, cum etiam plebeji ad ſummas evehantur dignitates, e contrario maximis juribus gaudent in Ariſtocratiis ſucceſſivis & oligarchiis, ut Venetiis, & Noribergæ (*g*), ubi nonnullæ familiæ gubernacula tenent, quæ, quo majorem ſibi concilient venerationem, ſolicite ſe a plebejis diſtinguunt, nec facile permittunt, ut per matrimonia ordines miſceantur. Quamdiu Roma ariſtocratico more regebatur, Patricii, penes quos poſt ejectos reges ſumma poteſtas erat, multum ſupra plebem erant evecti; Ipſi ſoli fungebantur magiſtratibus, nec matrimonia cum plebejis jungebant. Poſtquam vero plebs fœneratorum ſævitia irritata, ſeceſſione facta, obtinuit, ut ex ejus numero annui crearentur magiſtratus, quos Tribunos appellabant, atque ita ad Democratiam magis accedere incepit Reſpublica Romana, plurimum deceſſit exiſtimationi patriciorum, & plebs impetravit, ut ad Conſulatum & majores Magiſtratus admitterentur Plebeji, ac connubia forent promiſcua (*h*). In Monarchiis non eadem ubique eſt nobilitatis conditio; ibi enim plurimum dependet ab inclinationibus principis, & ſpeciali gratia, qua vel nobilem vel plebejum proſequitur, a fine cujusque civitatis, & multis aliis circumſtantiis. In plerisque Europæis regnis & principatibus ſuus eſt nobilitati ho-

(*g*) Vid. l'Hiſtoire du Gouvernement de Veniſe par Mr. AMELOT de la HOVSSAIE.

(*h*) LIVIUS lib. 4. cap. 1. 6, 41.

nos & prærogativa, quæ tamen non eousque ſe extendit, ut plebeji a dignitatibus arceantur, quos potius maximis officiis functos, & ad clavum reipublicæ ſediſſe, imo in multis regionibus adhuc ſedere obſervamus. Polonorum nobilium inſignia jura refert D. CONNOR (*i*). Apud Anglos primaria nobilitas maximæ eſt auctoritatis, non item inferior, de qua Thomas SMITHVS (*l*): *Quantum ad nobiles ſpectat, vili pretio hic in Anglia fiunt. Quisquis enim legibus patriis operam navat, quisquis in Academiis incumbit litteris, quisquis artes liberales profitetur, neque (ut verbo dicam) manuum labore vel artificio aliquo victum quæritat, ille, ſi perſonam ſuſtinere, & impenſas, quas ſolent nobiles, facere velit, dominus vocabitur (quæ vox nobilibus armigerisque tribuitur (& nobilis ipſe recenſebitur. Verum enim eſt, vulgo quod dici ſolet, tanti eris aliis, quanti tibi fueris. &c.* In Suecia & Dania novi homines præferuntur antiquæ nobilitati, quæ non facile regimini admovetur, ne ſpem recuperandæ priſtinæ libertatis concipiat. Medium tenuere beati, & illi demum imperantes ſe artis regnandi callentes probabunt, qui ita cuique ſtatui ſuum tribuunt, ut concentus, & harmonia, quæ anima ſocietatis civilis eſt, inter ſubditos conſervetur. Quatenus autem nobilitatis prærogativæ ſecundum prudentiam politicam ſint extendendæ vel minuendæ, in genere dici nequit, citra reſpectum ad ſingulas respublicas, quod latius perſequi noſtri inſtituti non eſt, qui magis ſumus quod ſoliciti de eo quod

(i) In der Beſchreibung des Königreichs Pohlen und Großhertzogthum Litthauen. part. 1. epiſt. V.

(l) De republica Anglorum lib. 1. cap 20.

Digitized by Google

quod juſtitiæ, quam quod utilitati convenit (*m*). Denique (4) nobiles, qua nobiles, non ſunt præferendi iis, qui dignitates in republica gerunt, & parti reipublicæ vel juſtitiæ præſunt, cujuscunque ſint originis, quippe qui neutiquam in cenſum plebis referri debent, cum diſtinctio inter nobiles & plebejos ad eos tantum pertineat, qui privatam vitam agunt, vel vulgarem in aulis, bellis &c. operam præſtant; E contrario illi, qui in republica gubernanda principi auxilio ſunt, præ omnibus aliis civibus dignitate corruſcant, quibus nullo colore, ut anteferantur, deſiderare poſſunt, qui tantum e numero plebis arbitrio & beneficio principis exemti ſunt. (*n*).

Caput II.

De Origine nobilitatis germanicæ.

§. 1.

Poſt perſpectas origines & indolem nobilitatis in genere, jam in ſpecie ad germanica progrediendum erit, Germanica nobilitas inſi-

(m) Vide interim PUFENDORF de jure naturæ & gentium lib. 8. cap. 4. §. 31. & ibi HERTIUM in notis Ill. THOMASIUM diſſ. de hominibus propriis §. 57. THOM. CAMPANELLAM Polit. cap. 12. AMELOT. dans les notes politiques & hiſtoriques ſur les annales de Tacite pag. 12. 13 Memoires touchant les Ambaſſadeurs & les miniſtres publics par Mr. WICQUEFORT, pag. 7. 15. Vbertum FOLIETAM Patricium Genuenſem de Expeditione Tunetana, ut & de cauſis magnitudinis Turcarum imperii apud GRAEVIUM Theſaur. antiquitat. Italiæ pag. 1115. 1214. 1215.

(n) Egregie hoc probavit Ill. COCCEIUS diſſ. de poteſtate ſtatuum imperii circa dignitates cap. 2. § 19 ſeqq. Idem docent MEVIUS part 5. deciſ. 291. Ill. LUDOLPH de jure foeminarum illuſtrium ſect. 1. §. 10. qui etiam ad liberos hoc extendit, eosque ad plebem non referendos putat, quoniam iis paterni honores non

mæ ſortis a civibus origina-riis de-ſcendit.

erit, ejusque natales eruendi. Inquit B. HERTIVS: *Licet nobilitas Philoſophica ceteris videatur præferenda, Poſt hanc tamen Europæam ad civitatis fortunatæ ſ. optimæ conditionem propius accedere facile oſtendi poteſt. Eſt ſane inter illius inſtituta, ut civium originariorum præcipue habeatur ratio.* Imprimis meo judicio de Germanis hoc dicendum, quorum antiquam inferiorem nobilitatem (de qua in præſenti ſaltem nobis ſermo eſt) civium originariorum ſ. illorum, qui primis Germaniæ temporibus ingenui vel liberi homines erant, reliquias eſſe autumo. Equidem doct. JCtus

Errant qui illam cum Feudis ortam dicunt.

JAC. CVIACIVS (quem merito GRAVINA redivivæ jurisprudentiæ patrem appellat) *ad* 2. *Feud.* 50. Feudis nobilitatem ortum debere, atque ita eos, qui Feudum acceperint, ſimul nobiles evaſiſſe exiſtimat. Conſentientem habet Franciſc. GVILLIMANNVM (*a*) Hiſtoricum inſignem, & Ill. COCCEIVM (*b*). Sed mihi a vero aliena videtur hæc opinio. Nam 1. Feuda demum ſeculo V. vel VI. orta ſunt (*c*), nobilium autem & equitum jam ſuis temporidus magnum numerum

non ſint invidendi. Verum ſi dignitas parentum non eſt hereditaria, non video, qua ratione liberi honores patri debitos ob munus publicum, quo ipſi deſtituuntur, de jure ſtricto poſcere queant.

(a) Rer. Helvet. lib. 2. Cap. 12. ſ. 5. 6. 7. pag. 103. Edit. GVNDL.
(b) Diſſ. de poteſtate ſtatuum imperii circa dignitates cap. 2. ſ. 21. ſqq.
(c) Feuda originem debere Clodovæo III. THOMASIVS in diſſ. de originibus Feudalibus defendit. E contrario Celeberr. GVNDLING in Gundlingianis ſched. 1. diſſ. 1. eorum veſtigia jam apud Romanos, & quidem primum ſub Alexandro ſevero, inveniri putat; quorum imitatione Germanici populi in Romanas provincias migrantes, hoc inſtitutum receperint, & quidem jam ante Clodovæum Theodoricum Gothum ſuis Feuda dediſſe.

Digitized by Google

rum in Germania fuiſſe teſtantur CAESAR & TACITVS (*d*) 2. Olim non ad hæredes transmittebantur Feudi, id quod demum CONRADI Salici temporibus introductum (*e*); Si itaque a poſſeſſione Feudi dependiſſet nobilitas, illa non niſi temporaria fuiſſet. Non admodum igitur cum veritate hiſtorica conveniunt, quæ GVILLIMANNVS loc. cit. narrat: Idem *privilegium, ſcilicet nobilitatis, obtinebant, qui a majore aut minore valvaſſore Feudo donabantur; ſi modo ii longam annorum ſeriem numerare poſſent, qua Feudum onusque familiæ ei annexum in familia ſua reſediſſet, quæ certa & antiqua nobilium deſinitio.* Quia enim Feuda non hæreditaria erant mortuo vaſſalo pro lubitu alii dabantur, inde regulariter non potuerunt illa per longam annorum ſeriem in familia reſidere. Id quidem ambabus manibus concedo, poſſesſionem Feudi imprimis militaris, indicium nobilitatis fuiſſe, & non niſi nobilibus hominibus ſ. ingenuis fuiſſe data, verum non poterant ignobilem reddere nobilem, ſed talem ſupponebant (*f*) 3. Si a Feudis nobilium origo eſſet repetenda, inde ſequeretur in iis provinciis, ubi nulla ſunt Feuda nec nobiles inveniri debere. At vero

(d) vid Reinhard a GEMMINGEN doctiſſimus eques Francus in deductione, qua immediatam nobilitatem inter ſtatus imperii eſſe referendam probare intendit, inſerta BESOLDI Theſauro Theoretico-Practico ſub voce REICHSSTANDT. Conf. Vir reconditæ doctrinæ Joh Frider. PFEFFINGER comment. ad Inſtit. juris publici Excell. VITRIARII lib. 1. tit. 20 §. 31. lit. a.

(e) Ita Wippio edit. Piſtor. pag. 420. militum animos in hoc multum attraxit, quod antiqua beneficia parentum nemini poſterorum auſſerre ſuſtinuit. Conf. ejus conſtitutio Feud 5. Tit. 1. vid. Doctiſſ. GVNDLINGIVS in Gundlingianis ſchediaſm. 3. diſſ. 1. §. 7.

(f) Vid. SCHILTER ad rubr. cod. jur. Allemann feud pag. 17.

Digitized by Google

vero in Friſia, Holſatia, Ducatu Bremenſi, ubi fere nullà dantur Feuda, magnus tamen nobilium numerus occurrit. Denique 4. Feuda Germanica maximam partem ſunt oblata (*g*), & quidem recentiori ætate; antiquisſimas ergo familias noviori demum tempore ad nobilitatem perveniſſe dicendum eſſet. Ex dictis reliquæ ſententiæ, quibus certus terminus origini nobilitatis ponitur, nullo negotio confutari poſſunt, quas ideo recenſere ſuperſedemus; potius id noſtri officii erit, ea, quæ nos ſentimus, dilucidius proponere eaq; rationibus fulcire.

§. 2. Accedimus igitur opinioni illorum, qui illos, quos hodie nobiles vocamus, cum ingenuis ſive liberis hominibus ejusdem olim conditionis fuiſſe exiſtimant, adeoque antiquos Germanos in principes & magiſtratus, quæ nobilitas ſuperior, in ingenuos ſive nobiles inferiores, & ruſticos, qui partim ſervi, partim liberti erant, diſtinctos fuiſſe credimus (*a*). Arriſit

(g) Vid. B. HERTIUS de Feudis oblatis part. I. §. 16. doctiſſ. KRESSIUS diſſert. de privilegiis agriculturæ apud Germanos cap 7. §. 14. Ita Reinhard a GEMMINGEN cit. loc. Es muſte folgen, daß mehr als 300. der fürnehmſten adelichen geſchlechter in denen trey Kreiſen gar nicht edel ſeyn, denn es iſt beweißlich, und gebe man von einem Stammhauſe zum andern, ſo wird man befinden, daß noch für 200. oder 150. Jahren, alle Stammhäuſer allodial geweſen, und Zeither allererſt mehrer Schutz und anderer Urſachen halber post tempora Rudolphi I. zu Lehn aufgetragen worden. Et porro: dergeſtalt wäre manchem Edelmann, auch mir ſelbſt, leicht quæſtio ſtatus zu moviren, denn für 150. Jahren iſt das Stamm Hauß Gemmingen noch allodial geweſen, hernach Speir & tandem Würtemberg aufgetragen worden E. ſo muſten Speir und Würtemberg allererſt meine Vor-Eltern zu Edelleuten gemacht haben, und ſie vorhin keine geweſen ſeyn &c. &c.

(a) In Germania magna nullæ inveniebantur urbes, atque adeo nec cives urbici vid. CONRINGO diſſ. de urbibus German. §. 16.

Arriſit hæc ſententia doctiſſimis viris noſtri ævi (*b*), inprimis autem Ill. THOMASIVS (*c*) variis argumentis illam ſtabilire laboravit. Fundat ſe præprimis in auctoritate Cæſaris qui in *commentariis* de *B. G. cap.* 13. 15 ita ait: *In omni Gallia hominum qui aliquo ſunt numero & honore genera ſunt duo: nam plebs pene ſervorum loco habetur, quæ per ſe nihil audet, & nulli adhibetur conſilio, plerique cum aut ære alieno, aut magnitudine tributorum, aut injuria potentiorum premuntur. ſeſe in ſervitutem dicant nobilibus. In hos eadem ſunt jura, quæ dominis in ſervos. Sed de his duobus generibus, alterum eſt druidum; alterum equitum, illi rebus divinis interſunt, ſacrificia publica, ac privata procurant . . . . . Alterum genus eſt equitum. Ii cum eſt uſus, atque aliquot bellum incidit, ... omnes in bello verſantur; atque eorum ut quisque eſt genere copiisque ampliſſimus, ita plurimos circa ſe ambactos clientesque habet. Hanc unam gratiam potentiamque noverunt.* Vides diſtingui Gallos tantum in equites, & druides (quos nobiles vocat) qui in pace & bello reipublicæ præerant, ac plebem

Cæſar Gallos diſtinguit in nobiles ſive ingenuos & plebem ſervilis conditionis.

(b) Vid. Ill. LEIBNITIVS introd. ad ſcriptores rer. Brunſv. §. 25. pag. 13. Dn. LVDWIG. paradox. juris publici §. 21. Dn. GVNDLING tr. de Henrico Aucupe §. 21. pag 137. HERM. ADOLPH. MEINDERS de origine, progreſſu, ac natura nobilitatis & ſervitutis in Weſtphalia. KNIPSCHILD de nobilitate lib. 1. cap. 3. §. 8. pag. 55 POTGIESSER de conditione & ſtatu ſervorum apud Germanos lib. 1. cap. 2 §. 40. HEINECCIVS diſſ. de origine jurisdictionis patrimonialis §. 11. Sigismund. Ehrenfried ab OPPELN, jam Potentiſſimo M. Britanniæ Regi in curia a conſiliis diſſ. de jurisdictione patrimoniali §. 5.

(c) Diſſ. de hominibus propriis & liberis Germanorum §. 59 & ſeqq. & de jure dandæ civitatis §. 17. ſeqq. & de uſu practico diſtinctionis hominum in ingenuos & libertinos cap. 2. §. 25. ſeqq.

Digitized by Google

bem in ſervitute degentem. Tertium genus, plebs nempe libera, non dabatur. Equidem non plane, ſed pene ſervorum numero plebem haberi dicit Cæſar. At vero notandum, non accurate intelligi poſſe auctores Romanos de Gallis ac Germanis loquentes, niſi probe obſervetur, eos ſemper comparative loqui, & præ oculis habere mores Italorum. Quoniam igitur Cæſar non levem differentiam inter Romanorum & plurimos Gallorum ſervos animadvertebat, cum illi in ædibus dominorum alerentur & ſingula domos officia peragerent, in Gallia autem maxima ſervorum pars, uti Coloni, Coſſati, Manſionarii &c. (fere quemadmodum adhuc noſtri ruſtici) ſeorſim ſuas inhabitarent caſas & colerent agrum a domino ſibi aſſignatum, nec ad domus officia adhiberentur, ſed tantum certam penſionem domino præſtarent, facile ſibi inde perſuadere potuit, non perfectam fuiſſe ſervitutem, ſub qua vivebat Gallica plebs, quippe quæ non ita dure tractari ipſi videbatur uti ſervi Romani, & ideo tantum Gaſindos, Bubones, & reliquos ſervos domeſticos in plena ſervitute vivere putavit. Vel, ſi tibi dubium videtur antiquiſſimis illis temporibus tot ſervorum diviſiones jam obtinuiſſe, per plebem pene ſervorum loco habitam intelligere quoque potes libertos, qui quidem in eo erant melioris conditionis, quod non eſſent glebæ addicti, ſed locum mutare poſſent, cæterum juxta doctrinam Taciti parum ſupra ſervos erant. Nec obſtat, quod dum Cæſar narrat plebem ſe ſæpius in ſervitutem dicare nobilibus, eo ipſo ſupponere videtur, non univerſim illam in ſervitute fuiſſe; etenim vel iterum hæc narratio inde profluxit, quod

quod non ſatis intellexit diverſa ſervorum genera apud Gallos, vel commode de libertis intelligi poteſt, quos jure mutandi locum neceſſitate adactus ſe abdicaſſe, & præ determinatis indeterminatas operas promiſiſſe vidit forte Cæſar (*d*). Denique, ne mireris a Gallis ad Germanos argumentum, cum tamen ipſe Cæſar *Lib. VI. Cap.* 21. Germanos multum a conſuetudine Gallorum differre dicat, Ill. THOMASIUS (*e*) & cum eo Phil. CLUVERIUS allegat STRABONEM Geographum lib. VI. teſtantem: *Germanos a Gallis parum differentes eſſe, ſi virtutis, corporum magnitudinis, & fulvi coloris excellentiam ſpectes. Sed & forma, & moribus, & victu aſſimiles eſſe Gallorum, itaque recte videri Romanos hoc nomen iis indidiſſe, cum eos fratres eſſe Gallorum, voluerint oſtendere.* Huic major fides debetur, quam Cæſari, ſi etiam inter illos contradictionem admitteremus, quoniam Cæſarem de negligentia in conſcribendis commentariis adhibita reprehenderunt jam olim Aſinius Pollio, & noſtris temporibus acutiſſimus CLERICUS *in Parrhaſianis* (*f*). Addit Ill. THOMASIUS (*g*) quod dum Cæſar, poſt recenſitos Gallorum mores, Germanorum conſuetudinem ab his diverſam eſſe dicat, ſaltem de iis momentis ſit intelligendus, in quibus differentiam oſtendit, ac circa diviſionem gentis in Nobiles & plebejos, & quod plebs ſervorum loco fuit habita, nihil diverſum notare.

(d) Ill. THOMASIUS diſſ. de hominibus propriis §. 63.
(e) Idem cit. diſſ. §. 61. add. PHILIPPUS CLUVERIUS German. antiqu. lib. 1. cap. 13.
(f) Tom. I. pag. 134.
(g) Ill. THOMASIUS cit. l.

Digitized by Google

§. 3. Sed age, ad Germanos ipſos nos convertamus propius, &, quæ diſtinctio ordinum inter illos fuerit, diſpiciamus, quo majus robur noſtræ theſi acceſſurum ſpero. Primo quidem intuitu Cornelius TACITUS, peritiſſimus rerum Germanicarum ſcriptor, nobis minime favere videtur. Inquit enim *in libro de moribus Germanorum cap.* 25. *Liberti non multum ſupra ſervos ſunt, raro aliquod momentum in domo; nunquam in civitate, exceptis iis duntaxat gentibus, quæ reguntur. Ibi enim & ſuper ingenuos, & ſuper nobiles aſcendunt, apud ceteras impares libertini libertatis argumentum ſunt.* & Cap. 2. *de minoribus rebus principes conſultant, de majoribus omnes, ita tamen, ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium eſt, apud principes pertractentur. Item* cap. 12: *eliguntur iisdem comitiis & principes, qui jura per pagos vicosque reddunt. Certi ſingulis ex plebe comites, conſilium ſimul & auctoritas adſunt.* Satis aperte hic diſcernuntur nobiles ab ingenuis. Nec plebem in ſervitute degiſſe, ſed potius magna polluiſſe auctoritate, inde elucet, quod quarundam rerum arbitrium penes eam fuiſſe, ut & comites ex plebe electi dicuntur. Verum facile ſuperamus has difficultates, adhibita ſaltem obſervatione, quam §. præced. notavimus, Tacitum ſcilicet, cum aliis ſcriptoribus Romanis Germana narrantibus, fere ſemper in animo habuiſſe mores Romanorum, & voluiſſe inprimis oſtendere, in quo illi diſcrepent ab inſtitutis Germanicis, ac nonnunquam terminis Romanis efferre mores Germanorum, ad hos non ſatis adæquatis, ſed ſæpe latioribus, ſæpe anguſtioribus (*a*).

His

(a) Ill. THOMASIUS diſſ. de jure dandæ civitatis §. 17.

His ſuppoſitis, non melius indagabitur mens Taciti, quam ſi circumſpiciamus, quinam Romanis dicti fuerint Nobiles. Et ſcimus, eos tantum Romæ nobiles appellatos eſſe, qui vel ipſi, vel quorum majores, magiſtratus currules geſſerunt. Hi in ſpecie nobiles, illi novi homines vocabantur, eo quod primi familiæ ſuæ intulerant nobilitatem (*b*), dum itaque Tacitus apud Germanos nobiles inveniri dicit, procul dubio in eodem ſenſu hoc vocabulo utitur, quo utebantur Romani, & de iis loquitur, qui Ducum, principum, atque comitum officio fungebantur (*c*). Non minus ſuavis conſonantia eſt inter ea, quæ Cæſar & Tacitus de ſtatu plebis referunt. Cæſari plebis nomine veniunt ruſtici & ſervi, e contrario Tacitus iterum ea voce utitur in ſignificatu Romano, apud quos liberi homines, quorum quidem nullæ in adminiſtranda republica vel juſtitia erant partes, qui in rebus graviſſimi negotii tamen aliqua auctoritate gaudebant, plebs vocabantur.

§. 4. Quæ circa explicationem Taciti forte animum vellicare poſſent dubia, facile ſuperabuntur, vocata in auxilium hiſtoria medii ævi. Obſervamus enim nec tum quidem titulum nobilis infimæ nobilitati eſſe tributum, ſed tantum ſuperiori proprium (*a*), illis

Stylo medii ævi titulus nobilis Edelmann ſaltem primariæ nobilitati tribuitur.

(b) Pufendorf de jure N. & G. lib. 8. Cap. 4. §. 28. 29. Ant. Matthaei de nobilitate lib. 1 cap. 1. Vlr. Hubervs de jure civitatis lib. 2. ſect. 2. cap. 4. n. 10. ſeqq. Cocceivs de poteſtate ſtatuum imperii circa dignitates cap. 1. §. 23 ſeqq. Mavritivs de nobilitate inprimis Germ. §. 2.

(c) Vid Ill. Thomasivs diſſ. de hominibus propriis §. 72.

(a) Hvldericvs ab Eiben de titulo nobilis & elect. juris feudal. cap.

illis ſcilicet, qui officiales regni, duces, comites &c. erant, ut & liberis Dominis ſ. Baronibus, qui propria & libera habebant bona & dynaſtias (*b*). Quid? quod nec Germanico vocabulo Edelmann inferior nobilitas fuit deſignata, uti conſtat ex GOTTFRIDO VITERBIENSI *Chron. part.* 17. *ad an.* 727. ubi de Longobardis ſcribit: *Omnes Reges illis fuerunt Adelingi i. e. de nobiliori proſapia, quæ apud illos dicitur Adalinga.* Et in Anglia regni hæredem Adelingum dictum, in legibus ſancti Edwardi Confeſſoris dicitur, apud SPELMANNUM *voce Adelingus*: *Rex vero Eadwardus Eadgarum filium eorum ſecum retinuit, & pro ſuo nutrivit, & quia cogitabat, hæredem eum facere, nominavit Adeling; quod nos dicimus domicellum. Sed nos indiſcrete de pluribus Dominis, quia Barones vocamus Domicellus. Angli vero nullum niſi natos Regum. Quod ſi expreſſius volumus dicere: in quadam regione Saxoniæ, Ling imago dicitur; Adela Angliæ, nobilis latine, quod ſimul junctum ſonat nobilis imago Eadling.* Etiam nomen Juncker, illo tempore

cap. 9. §. 12. 13. MEIBOMIUS in vindic. Billung. & in not. ad Witt chindum B. Ill. HUGO de ſtatu regionum Germaniæ cap. 4. §. 20. ANT. MATTH. de nobilitate lib. 4. cap. 7. SCHILTER de S. R. I. comitum prærogativa §. 12. MEINDERS de ſtatu religionis & reipublicæ ſub Carolo M & Ludovico Pio in veteri Saxonia p 237. 474. POTGIESSER de conditione & ſtatu ſervorum apud Germanos lib. I. cap. 2. §. 40. MAURITIUS de nobilitate inprimis Germ, §. 3. In regno Francico tantum ſeniores & majores fuiſſe nobiles appellatos cum Hadriano Valeſio docet B. HERTIUS in notitia Vet. Francorum regni cap. 3. §. 20.

(b) Vid. Celeb. GUNDLINGIUS diſſ. de Feudis vexilli §. 23. Obſervat. Ill. LEIBNITIUS in præfatione ad ſcriptores rerum Brunſuicenſium Tom. I. ejusmodi Dominos inter proceres imperii ac principes fuiſſe relatos; & ſibi dedecori duxiſſe ducum vel comitum officio fungi, quod exemplo Ethiconis Guelphi probat.

Digitized by Google

pore, non niſi regibus, principibus & comitibus tributum eſt (*c*). Illi autem, quos hodie nobiles appellamus, equites & miniſteriales (*d*) (Ritter und Knechte) vocabantur, qui cum recentiori ætate nobilis titulum affectarent, valde increpati ſunt a CRANTZIO (*e*) *Sublimius*, inquit, *nomen ex minſterialibus nunc aucupantes, nobiles ſe dici volunt; cum ſit infimus nobilium gradus in Baronibus.* Et alio loco (*f*): *Miniſteriales ſuos, qui ſoli volunt hodie dici militares, coæquavit urbicis ad militiam conſcriptis, quos etiam in ordinibus duxit, nihil minores habitos. Sed poſteriora ſecula diſtinxerunt ordines militantium & urbicorum, ut jam non patiantur illos ſibi coæquari; & quod eſt arrogantius, jam qui olim miniſteriales dicti ſunt, aut Feudatarii, nunc ambiunt dici nobiles. Sed coarguit eorum ſuperbiam uſus principalium ſcribarum, & omnium recte diſcernentium munera graduum ſingulorum. Primi enim inter nobiles Barones deputantur, inde liberi Domini, poſtea comites, inde duces quos appellat Papa nobiles viros. Quid patitur miniſterialis*

(c) Debemus hæc ANT. MATTHAEO tr. de Nobilitate lib. 4. c. 18. Conf. quoque eximiæ eruditionis vir Joachimus POTGIESERUS cit. tr. §. 40. 41. & egregia deprehendes apud Ill. Chriſtianum Wilhelm. ab EIBEN jam Celſiſſimi Epiſcopi Osnabrugenſis miniſtrum ſtatus intimum diſſ. de ſtilo curiæ & Dom. PFEFINGERUM comm. ad Vitriarii inſtit. jur. publ. lib. 1. tit. 20. lit. c.

(d) De Miniſterialibus vid. Ill. EIBEN Elect. Juris Feud. cap. 9. lit. G. in not. B. HERTIUS diſſ. de hominibus propriis ſect. 4. Dn. GUNDLING in der neuen Bibliothec XXX. Stück pag. 901. POTGIESSER cit. tr. lib. 1. cap. 2. §. 43. 44. ANT. MATTHAEI de Nobilitate lib. 4. cap. 7. Du FRESNE Gloſſar. voce miniſterialis KRESS. diſſ. de privilegiis agriculturæ apud germanos cap. 2. §. 15. pag. 85.

(e) Metrop. lib. I. cap. 2.

(f) cit. oper. lib. 2. cap. 2.

rialis, ut in hac nobilitatis appellatione coæquari quærat duci? E contrario, per liberos homines inferiores nobiles denotari ſæpius invenimus, ita in *Capitul.* 1. *cap.* 120. *de liberis hominibus qui ad ſervitium Dei ſe tradere volunt, ut prius hoc non faciant, quam a nobis licentiam poſtulent: hoc ideo, quia audivimus aliquos ex illis non tam cauſa devotionis hoc feciſſe, quam pro exercitu, ſ. alia functione regali fugienda.* Idem dicitur apud ANSEGISUM *lib.* 5. *tit.* 29. *cap.* 3. (*g*) Quis quæſo dubitaret, ſermonem hic eſſe de infima nobilitate, illi enim in exercitu erat comparendum, eaque officiis regni fungebatur. His ſuppoſitis accurate intelligimus, & cum noſtra ſententia convenire gaudemus, quam NITHARDUS & ADAMUS BREMENSIS diſtinctionem ordinum in Germania fuiſſe referunt. Ille *lib.* 4. ita: *Gens Saxonum omnis in tribus ordinibus diviſa conſiſtit: ſunt enim inter illos Edlingi, ſunt qui Frilingi, ſunt qui lazzi illorum lingua dicuntur. Latina vero lingua hoc ſunt nobiles, ingenui, & ſerviles.* Quando per Edlingos nobilitatem ſuperiorem, per Frilingos inferiorem, & per lazzos intelligimus libertos, qui quidem optimo jure dici poterant ſerviles, eo quod parum eſſet melioris conditionis, quam ſervi, non opus eſt ut cum Dn. THOMASIO (*h*), erroris arguamus Nithardum, ſed ita ejus relatio optime convenit cum iis, quæ Tatitus habet. Eadem reperimus apud ADAMUM BREMENSEM *hiſt. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 5. *quatuor differentiis Gens illa (Saxonum) conſiſtit; nobilium*

(g) Vid. LEHMANN Speieriſche Chronicke lib. 2. cap. 43.
(h) Diſſ. de jure dandi civitatis §. 17.

lium ſcilicet, & liberorum, libertorumque atque ſervorum. Et id legibus firmatum eſt, ut nulla pars in copulandis conjugiis propriæ ſortis terminum transferat, ſed nobilis nobilem ducat uxorem, & liber liberam, libertus conjungatur libertæ & ſervus ancillæ. Si vero quispiam horum ſibi non congruentem, & genere præſtantiorem duxerit uxorem, cum vitæ ſuæ damno componat.

§. 5. Crediderim ita ſatis defunctos non eſſe noſtro officio, nec in re hiſtorica vetuſtatis tenebris operta, quæ demonſtrationem Mathematicam non admittit, poſſe aliquem, ſalvo pudore, amplius quid exigere. Interim, hoc ſaltem adhuc addam; ſi is fuiſſet antiquæ Germaniæ ſtatus, qui hodiernæ, ubi tantum nonnullæ, & reſpectu reliquorum hominum ingenuorum, paucæ familiæ ad infimam nobilitatem pertinent, non potuiſſet tantus nobilium numerus caſtra ſequi, imo toti fere exercitus equitibus conſtare (*a*). Jam vero unanimis doctrina hiſtoricorum eſt, ad minimum ſervitia equeſtria infimam nobilitatem præſtitiſſe (*b*), unde & vocantur equites Ritter. In equitatu autem temporibus Arnolphi, Henrici Aucupis &c. potiſſimum robur fuiſſe collocatum, probatum dedit doct. GUNDLINGIUS (*c*). Nec regulariter cingulo mili-

Servitia equeſtria nobiles ſ. ingenui præſtabant.

(a) Vid. CONRING de urbibus Germanicis POTGIESSER cit. tr. lib. 1. cap. 2. §. 40. Etiam obſcuro loco nati in exercitibus erant, ſed illi non milites vel equites, ſed equitantes Beyreuter, Einſpanniger, appellati GUNDLING de Henrico Aucupe §. 28. KRESS. de privilegiis agriculturæ apud Germanos cap. 2. §. 9.

(b) Vid. Illr. THOMASIUS diſſ. de originibus feudalibus §. 83. lit. G. in not. & §. 14 lit. f. in not. HACHENBERG germ. med. diſſ. IX. §. 22.

(c) In tr. de Henrico Aucupe §. 28. lit. d. in not.

militari donabantur, i. e. creabantur milites, qui non militum filii ſive ex infima nobilitate eſſent. (*d*) Interim magnum militum numerum in exercitibus reperimus. ORDERICUS VITALIS *lib. 9. pag.* 759. inquit: *Chriſtiani autem habuerunt pene mille milites & XXX. millia peditum.* Comes SAN. PAULINUS *de capta Conſtantinopoli*: *Et ſciamus, quod non fuimus in toto exercitu plures quam quingenti milites, & totidem equites, ſerjantes non habuimus plures quam duo millia peditum: major enim pars ſtatuebatur ad ingenia noſtra ſervanda* GODFRIDUS MONACHUS *ad an.* 1215. *pro redemtione ejusdem terræ mille quingentos milites & totidem ſargantos in expenſis noſtris a Martio usque ad annum transmittere decrevimus.* *Annales* COLMARIENSES *an.* 1277. *poſt hæc Rex Bohemorum congregavit occulte decem millia dominorum, volens occulte comprehendere Regem Romanorum.* Hodie quidem, ubi ſæpius plures populi, fædere ſociati, junctis viribus pugnant, facile quædam millia nobilium in exercitu reperiri poſſunt, ſed cogitandum iis temporibus (e) raro tantam hominum multitudinem in hoſtam eductam eſſe, unde, ſi in illis exercitibus, qui plerumque admodum modici erant, aliquot millia nobilium fuiſſe vidimus, hoc manifeſto probat, multo majorem illorum numerum tunc fuiſſe, uti hodie.

(d) Vid. DU FRESNE Gloſſ. tom. 2. part. 2. pag. 666. voc. miles GUNDLINGIUS de Henrico Aucupe §. 21. lit. d. in not. KRESSIUS de privilegiis agriculturæ apud Germanos cap. 2. §. 9. HERTIUS diſſ. de feudo nobili ſect. 3. §. 9. HERTIUS diſſ. de feudo nobili ſect. 3. §. 9. ſeqq. Obſervationes HALLENSES tom. 2. obſ. 2. 3. 4. 5. 6.

(e) Adhuc ante ducentos annos parvis exercitibus res geſtas eſſe optime notat. D. PERIZONIUS Hiſtor. ſec. XVI. pag. 20.

Digitized by Google

die. Accedit denique, quod, qui hodie, præter nobilitatem inferiorem, ſunt ingenui homines, vel in urbibus vivunt mercaturam aut opificia exercentes, vel officiis in republ. funguntur, vel militiæ nomen dant, aut liberalibus ſtudiis operam navant. At primis illis temporibus, deficientibus urbibus nec cives erant in Germania, & quoniam plurimi Germanorum bello intenti mercaturarum vilipendebant, luxusque expertes pleriſque opificiis carebant, neque mercatores aut opifices inter eos fuiſſe liquet; Officia autem tam bellica quam civilia nobilitati committebantur; litteris ſe dicare non poterant, qui ne quidem literas habebant, & cum ruſtici, qui partim ſervi erant partim liberti parum melioris conditionis quam ſervi, ingenuis haud accenſebantur, ſane non potuerunt eſſe in Germania antiqua ingenui homines a nobilitate inferiore diſtincti. Mihi ſtatus Germaniæ antiquæ cum Polonia hodierna in multis paſſibus optime comparari poſſe videtur (*f*). Sicuti enim in Germania inter ingenuos & nobiles inferioris gradus nulla admittebatur differentia, & ideo maximus illorum numerus erat, ita etiam in Polonia, qui ingenue natus nobilitatis inſignia habet, (exceptis admodum paucis civibus urbicis qui mercaturæ vel opificiis operam navant) & ex eadem ratione ingens ibi nobilium multitudo invenitur (*g*). Itidem equitatus Polonicus, quem Poſtpolite Ruszenie appellant, ex nobilibus ſ.

Inſtituitur comparatio inter antiquum Germaniæ & hodiernum Poloniæ ſtatum.

 ingenuis

(f) Vid. Reinhard a GEMMINGEN in ſupra citata deductione apud BESOLDUM Joh. Gottlob. HEINECCIUS de origine ac indole jurisdictionis patrimonialis §. 14.

(g) Vid. D. CONORS Beſchreibung des Königreichs Pohlen epiſt. 56.

ingenuis maximam partem conſtat, quemadmodum de Germanis diximus. Nec minor poteſtas Dominorum Polonorum in ſervos, quam in Germania unquam eſſe potuit. Imo, ſicuti jurisdictione in ſervos gaudebant Germani Domini, quod infra monſtrabimus, ita & eadem gaudent Poloni. Si itaque Tacito vel Nithardo ordines Poloniæ delineandi fuiſſent, nullus dubito, quin officiales regni, Palatinos Caſtellanos, Staroſtas dixiſſent nobiles, equites vero ingenuos, & ruſticos, ſervos.

Monſtratur, unde hodierna ordinum in Germania diſtinctio, qua non omnes ingenui inferiori nobilitati accenſentur orta ſit.

§. 6. Supereſt, ut inveſtigemus, unde factum, quod antiqua ordinum diſtinctio non amplius in Germania obtineat, ſed inter ingenuos inſignis differentia obſervetur, ita, ut hodie nonnullæ familiæ prærogativa gaudeant; & titulo nobilis a reliquis liberis hominibus ſe diſtinguant. Hoc ſic mihi contigiſſe videtur. Chriſtianismo introducto, magnus Clericorum numerus ex Italia in Germaniam noſtram pervenit, ut Eccleſiis nuper conditis præficerentur, & præcepta Chriſtianæ religionis populo inſtillarent. Hi pauciſſimas urbes, & in Saxonia fere nullas, inveniebant (*a*). Interim non poterat non eſſe ingratum delicatioribus hominibus, qui elegantisſimis moribus erant aſſueti, & in regione cultiſſima, ac ſplendidis urbibus repleta hucusque vixerant, in vicis inter ruſticos agreſtem agere vitam id quod non ſolum multis ad vitæ commodioris uſum pertinentibus illos privabat, ac latronum furori & inſidiis reddebat obnoxios (*b*) ſed etiam honori præjudicium facere videbatur, quoniam Epiſcopi rurales

(a) Conrino diſſ. de urbibus Germanicis §. 27.

(b) Celeberr. Gundlingius in tr. de Henrico Aucupe §. 20. lit. t.

rurales non eadem dignitate gaudebant, qua civitatenſes (*c*). Optabant ergo, ut urbes conderentur, & quo huic deſiderio ſatisfacere poſſent egregia ſe offerebat occaſio. Quoniam enim ad eccleſias & monaſteria, ubi non ſolum viri fama celeberrimi docebant, ſed etiam reliquiæ ſanctorum aſſervabantur, magna hominum multitudo devotionis gratia confluebat, ea propter, ne his neceſſaria vitæ ſubſidia deficerent, &, ut invenirent loca, ubi noctu diverterent, non ſolum cauponæ a libertis penes monaſteria erigebantur; ſed etiam eorum multi alii ibi ſedes ponebant, ut mercaturæ operam darent, aut vacarent opificiis, cum in tanta frequentia hominum ſe facilius emtores reperturos ſperarent (*d*). Inſtituebantur ex eadem ratione ibidem nundinæ, quæ adhuc hodie Meſſen vocantur, quoniam in eo loco primum ſunt habitæ, ubi miſſa celebrabatur (*e*). Ita brevi tempore monaſteria ædificiis erant circumdata, non ad agriculturam aptatis, ſed cauponariæ, opificiis, & mercaturæ deſtinatis. Et quo incolarum numerus eo magis augeretur, Clerus Dominis perſuadebat, eſſe bonum opus, & vitæ æternæ meritorium, manumittere ſervum, unde in

 formulis

(*c*) Imprimis Seculo IV. Chorepiſcoporum ſ. epiſcoporum ruralium auctoritati multum deceſſit. Tum enim jam eousque proruperat ambitio epiſcoporum civitatenſium, ut crederent nomen ſuum prorſus vileſcere, ſi in agris quoque æquali poteſtate eſſent epiſcopi. Ex ea ratione operam dederunt, ut in variis Synodis poteſtas & jura Chorepiſcoporum ſupprimerentur, & illi epiſcopis civitatenſibus ſubjicerentur vid. Doctiſſ. BOEHMERUS diſſ. juris eccleſiaſtici ad Plinium Secundum diſſ. 5. §. 6. 7. Ill. THOMASIUS diſſ. de jure dandæ civitatis §. 11. 29.

(*d*) Celeberr. GUNDLINO. cit. l.

(*e*) Vid. Du FRESNE gloſſar. tom. 2. part. 2. pag. 643. voce miſſa

formulis manumiſſionis invenimus plerumque dici, id fieri pro ſalute animæ (*f*); qua doctrina id effecerunt, ut ingens ſervorum multitudo manu mitteretur, qui libenter ſeſe in urbes conferebant, ubi non ſolum facilior per opificia & mercaturam parandi victus ratio, ſed etiam ſpes erat ad divitias perveniendi. Debet igitur Germania originem multarum præſtantium urbium Eccleſiis cathedralibus & monaſteriis (*g*), ſed multum quoque debet Henrico Aucupi, qui non ſolum eas, quæ jam ſuis temporibus erant, urbes muris circumdedit, ſed etiam novas exſtruxit, quo Germaniam ab incurſibus Hungarorum ſalvam præſtaret (*h*). In ſequentibus temporibus, cum etiam Germani inciperent, more Italorum, molliter ac delicate vivere, & luxuriæ indulgere, in omnibus fere provinciis ſatis magnus urbium numerus excrevit, quoniam in iis commerciorum & opificum ope, major dabatur occaſio cupidines exſatiandi (*i*). Ita novum genus hominum Germania ortum eſt cives, nempe urbici, qui quidem maximam partem (*k*) ſervilis origi-

(f) Vid. Ill. THOMASIVS cit. diſſ. §. 29.

(g) Vid. MABILLON Sec. III. act. ord. S. Benedicti part. 1. præf. n. 48.

(h) Celeberr. GVNDLINGIVS cit. l.

(i) Ill. THOMASIVS cit. l.

Patricii urbici ſunt ingenua originis.

(k) Non inepte mihi agere videntur, qui originem patriciorum ad tempora Henrici Aucupis referunt. De eo enim WITICHINDVS CORBEIENSIS lib. 1. Primum quidem ex agrariis militibus nonum quemque eligens in urbibus habitare fecit, ut ceteris ſuis confamiliaribus octo habitacula extrueret, frugum omnium tertiam partem exciperet ſervaretque, ceteri vero octo ſeminarent & meterent, frugesque colligerent nono, & ſuis eas locis reconderent. Milites ibi agrarii procul dubio ingenui, ſive inferioris nobilitatis erant, quoniam ſervilis conditionis homines, juxta ea, quæ

originis erat, per manumiſſionem autem ut plurimum (*l*) plenam libertatem juris gentium obtinebant, & quorum non pauci mercando magnas ſibi parabant facultates. Aſt vero non ſolum a civibus urbicis derivandæ ſunt familiæ ingenuæ nobilibus contradiſtinctæ, ſed etiam multi liberti agrarii, per fortitudinem togatam vel ſagatam, ſe ſuosque ex infimæ plebis numero exemeruut. Etenim Clerus ſine diſtinctione omnes homines ad ſacros ordines admittebat (*m*), quibus adeptis, ſimul aperta erat via ſummos obti-

quæ §. 5. diximus, ad militiam non admittebantur, & ſtilo medii ævi non is dicitur miles, qui in exercitu eſt, ſed qui ſolenni ritu cingulum militare accepit. Hi ingenui magiſtratus munia obibant. Quamvis enim a Cæſare conſtituebantur advocati & judices, qui jurisdictionem exercerent, in ſingulis tamen civitatibus magiſtratus quoque oppidani erant ſive Burgergedingen, Weichbilde, ad quorum cognitionem pertinebant minores cauſæ, nempe Schuld-Sachen, ſo auf ja und nein beſtunden item injuriæ minores, & ſtatuta urbica cauſas ad Politiam ſpectantes, Policey-Sachen, ſo in der Willkühr verfaſſet, uti refert D. OCKEL de præſcriptione immemoriali cap. 2. §. 28. Talia autem infimæ ſortis plebi fuiſſe commiſſa ab omni veroſimilitudine alienum eſt, ſed procul dubio penes cives illos ingenue originis, quos hodie patricios apellamus, iſtud regimen fuit, qui & poſtea fere univerſa regia jura acquiſiverunt. Quapropter CONRINGIUS diſſ. de urbibus germanicis n. 129. vix ullam ſeculo XIII. fuiſſe imperii urbem aſſerit, quæ paucorum arbitrio non regeretur, quamquam ſequentibus temporibus in plerisque vulgus, excuſſo obſequii jugo, Ariſtocraticam regiminis formam in Democraticam aut Ochlocraticam mutaverit vid. egregie diſſerentem D. GUNLINGIUM cit. tr. §. 20. lit. u. Ut & POTGIESSERUM de conditione & ſtatu ſervorum apud Germanos lib. 1. cap. 2. §. 59. OCKEL de palatio regio §. 140.

(l) Non omnes in urbibus homines fuiſſe liberæ conditionis notat POTGIESSER cit. l. Conf. JOH. BURC. VERPOORTEN de inveſtitura Allodiorum §. 44.

(m) Rationes politicas egregie detexit Ill. THOMASIUS ſpec. jurisprud. judicialis cap. 8. pag. 96.

obtinendi honores, quoniam, ob Laicorum inſcitiam, in aulis Regum publica negotia Epiſcopis committebantur, qui plerumque Archicancellarii & Archicappellani munus obibant. Iam ſuo tempore de hac ordinum confuſione acerbas profert querelas THEGANVS (n), cujus verba quamquam Compluſcula ſint, non gravabor hic apponere, quoniam ad illuſtrationem dictorum apprime faciunt: *Quia jam dudum illa peſſima conſuetudo erat, ut ex viliſſimis ſervis ſummi pontifices fierent, & hoc non prohibuit, quod tamen maximum eſt malum in populo Chriſtiano, ſicut teſtatur Regum hiſtoria de Jeroboam filio Nabath, qui erat ſervus regis Salomonis, & poſt eum principatum habebat ſuper decem tribus filiorum Iſrael. Refert enim ſcriptura de eo in hac verba: Non eſt reverſus Jerobeam de via ſua peſſima, ſed e noviſſima populi ſacerdotes excelſorum, & propter hanc cauſam peccavit domus Jerobeam, & everſa eſt, & deleta de ſuperficie terra. Poſtquam tales culmen accipiunt, nunquam ſunt, ſicut antea, tam manſueti, & ſic domeſtici ut non ſtatim incipiant eſſe iracundi, rixoſi, maliloqui, obſtinati, injurioſi & minas omnibus ſubjectis promittentes & per hujusmodi negotia capiunt ab hominibus timeri & laudari. Turpiſſimam cognationem eorum a jugo debitæ ſervitutis nituntur eripere, & libertatem imponere. Tunc aliquos eorum liberalibus ſtudiis inſtruunt, alios nobilibus fœminis conjunguntt, & propinquos eorum filios nobilium cogunt accipere. Nullus cum eis æquanimiter vivere poteſt, niſi hi ſoli, qui talem conjunctionem habent: cæteri vero cum maxima triſtitia, gemendo, flendo, ducunt dies ſuos.*

(n) De Geſtis LVDOVICI Pii cap. 20. edit. Schilt. pag. 74.

os. Propinqui autem ſupradictorum, poſtquam aliquid intelligunt, ſenes nobiles derident, atque deſpiciunt, ſunt elati, inſtabiles, inverecundi, unicuique tamen parvum bonum remanet, poſtquam a ſe ſanctam verecundiam projicit. &c. Et alio loco: (*o*) *Sed ſummopere cavendum eſt, ne amplius fiat, ut ſervi ſint conſiliarii ſui, quia ſi poſſunt, hoc maxime conſtruunt, ut nobiles opprimant, & eos cum viliſſima propinquitate eorum exaltare ſtudeant. Hoc non condecet ſanctæ dignitati ſuæ, quoniam hoc raro contigerat temporibus ſanctæ memoriæ genitoris ſui, ut aliquis de talibus ad honorem conſcenderet. Quin eum maxima cum diſciplina regebat, ne ſuperbire inciperet. Hoc exemplum nunc exercere opus eſt, quando in temptatione erat mitiſſimus principum, hi tales tam moleſti ei fuerunt, qui eis immeritis ommem benignitatem exhibuit. Quid ſubjectis faciant nulli interrogare opus eſt* (*p*). Facile concipi poteſt, & ipſe THEGANVS id indicat, clericis in dignitate conſtitutis, & auctoritate ac divitiis pollentibus, etiam ſuos fuiſſe curæ, & id operam dediſſe, ut ille ex ſervitute ad meliorem fortunam pervenirent, atque libertatis jura obtinerent; attamen, ob defectum natalium, originariis civibus non facile accenſi videntur nec beneficio regis illis redditos eſſe ſimiles exiſtimo, quia nobilitationis iis temporibus vel plane

(o) Cit. l. cap. 50. pag. 79.

(p) Procul omni dubio hic itidem de epiſcopis ſermo eſt, qui in conſilium adhibebantur. Alii enim ſervilis originis homines eo tempore ad officia aulica non ſunt admiſſi. Notes non queri Theganum de ingenuis hominibus, ſed de ſervis, qui nobilibus præferantur, quod apprime firmat ea, quæ præcedentibus §. §. aſſeruimus.

plane non, vel rariſſime fuerunt uſitatæ; augebant igitur plerumque numerum familiarum ingenuarum, quæ civibus originariis contradiſtinguebantur. Introductis peregrinis juribus, & renaſcentibus literis, adhuc pluribus occaſio data eſt ab humili genere in altum ſurgendi. Cum enim nobiles, quibus militia ſagata præ togata ſemper arriſit, ſtudiis rarius operam darent, judicia autem, & varia alia officia litteratis eſſent committenda, factum eſt, ut multi infimæ ſortis homines, qui, ob doctrinam, doctoris gradum obtinuerant, ad ſummos in republica venirent honores. Recentiori ætate etiam in ſeligendis militibus non adeo ſolicite originis ratio eſt habita, ſed ſæpius ex infima plebe oriundi duces bellici facti ſunt, cum tamen olim non niſi ingenui ad militiam admitterentur. Non difficulter ſibi quis perſuadebit, eos, qui ingenuæ originis erat, æſtuaſſe invidia, cum viderint ſervos ſibi fere ſimiles reddi, imo quandoque præferri; (*q*) Inde factum, ut hi liberti, eorumque progenies, illis deſpectui eſſent, & operam darent, ut ab illis quocunque modo diſtinguerentur, ſe contaminari exiſtimantes, quando hominibus ſervilis originis æquipararentur (*r*). Augebat contemtum, quod cives & novi ingenui illi primis temporibus plerumque per mercatorum aut ſtudia divitias & auctoritatem ſibi parabant; ingenui autem antiqui exercebant militiam, quod genus vitæ genius nationis Germanicæ militaris ſemper præſtantiſſimum duxit. Nec mere imaginaria & in mente conſi-

(q) Vid. THEGANUS cit. loc.

(r) Vid. Doctiſſ. KRESSIUS de privilegiis agriculturæ apud Germanos cap. 2. §. 8.

Digitized by Google

conſiſtens fuit prærogativa, qua ſe gaudere exiſtimabant, ſed etiam reapſe quosdam producebat effectus. Ipſi enim ſoli (exceptis Clericis) penes Principes & Reges erant, & officia aulica adminiſtrabant, imo, antequam jura peregrina reciperentur, judiciis præerant (*s*), quod, ob ſimplicitatem juris patrii, non tantum deſiderabat doctrinam, uti hodie. In plerisque capitulis ex illis Canonici capitulares, domicellarii &c. erant eligendi, quod & adhuc obtinet (*t*) Item ad tormenta non admittebantur, niſi qui ingenuæ eſſent originis, & majores ingenuos ciere poſſent &c. &c. Ita factum eſt, ut avitæ libertati peculiaris dignitas, & non leves prærogativæ accederent, (*u*) quarum qui participes fieri cupiebant, ſpeciali declaratione opus habebant, unde nobilitatio orta. Vides igitur quomodo mutatio ſtatus in Germania contigerit, & quæ natales ſint infimæ nobilitatis noſtræ. Vides etiam fontes æmulationis inter nobiles & cives, nec non cauſam, quare antiqua nobilitas ſe noviter acquiſitæ præferendam judicet, etiamſi hæc ob egregia merita in aliquem ſit collata, nempe quia ratio præeminen-

 tiarum

(s) Vid. BRUNNMERUS de Scabinis, OCKEL de palatio regio §. 82. 140. KRESSIUS cit. diſſ. cap. 2. §. 10.

(t) KRESS. cit. diſſ. cap 2. §. 10.

(u) Ita Dn. LUDWIG paradox. juris publici. §. 21. nobilis principio audiit homo liber peculiaris prædii poſſeſſor: poſt, ſervitutibus in Germania fere ſublatis, libertati ſolennis declaratio dignitatis & natalium acceſſit, quæ olim opus non fuerat. Inde provoco omnes qui aliter ſentiant, ut exempla afferant, unde conſtet, ante tria aut quatuor ſecula imperatorem nobilitaſſe, das man einen Adelbrief ausgefertiget Conf. KRESS. de privilegiis agriculturæ cap. 2. §. 15.

tiarum, quibus nobiles gaudent, ea eſt, quod deſcendant a civibus originariis Germaniæ, reliqui vero ingenui ſervilis ſint originis. Hæc enim gloria per diploma obtineri nequit, & inde ortum credo, quod exiſtiment, non poſſe ſibi æquales reddi per declarationem ſummæ poteſtatis, qui antiquitate generis & genua origine non clarent; quamquam enim paucisſimi ita rerum antiquarum gnari ſint, ut hanc prærogativarum ſuarum cauſam ſciant, acceperunt tamen utplurimum propriæ præſtantiæ opinionem, & contemtum novorum hominum a majoribus, illumque ad poſteros transmittunt. Interim negari non poteſt meram hanc eſſe gloriam, quæ per ſe nullos operatur effectus civiles, niſi ex arbitrio imperantium illi accedunt, quod inprimis in Germania ratione capitulorum &c. factum eſſe diximus (*u*). Poſtquam ita ſententiam noſtram de origine nobilitatis Germanicæ declaravimus, ad diviſionem ejus pergendi, & clypeos illos militares die Heerſchilde, qui nobilitatis gradus continent illuſtrandi daretur

(u) Inſignis prærogativa nobilium antiquæ originis eſt, quod in judicio imperii aulico in Orcheſtra auf der Herrenbanck cum comitibus ſedeant, & eadem fruantur dignitate, niſi quod his cedere debeant, qui in comitiis imperii votum & ſeſſionem habent vel ex familiis, quæ eo jure gaudent ſunt prognati. Ita in capitulatione Joſephina art. 39. das in unſern Reichs-Hof-Kriegs und andern Räthen auf denen Ritterbäncken, zwiſchen denen von Ritter-Stande, welche zu Schild und Helm Ritter- und Stifftmäßig gebohren, und denen Grafen und Herren, ſo in den Reichs-Collegiis keine Seſſion oder Stimme haben, oder von ſolchen Häuſern entſproſſen und gebohren ſeyn, in der Raths-Seſſion dem alten Herkommen gemäß, kein Unterſcheid gehalten, ſondern ein jeder nach Ordnung der angetretenen Rathsdienſte, ohne einigen von Standes wegen unter denſelben führenden Vorzuge, verbleibe.

retur locus (*x*). De nobilitate immediata, ejusque origine, quæ ſatis controverſa eſt (*y*), varia quoque in medium ferri poſſent; Verum intra terminos coercenda eſt diſſertatio, cum non omnem materiam nobilitatis exhaurire, ſed tantum de origine illius, & quorundam ejus jurium agere, noſtri inſtituti ſit. Prius ergo cum pro modulo ingenii præſtiterimus, ad poſterius progredimur, de jure ſtatuum provincialium, jurisdictione, & venatione nobilibus competente dicturi (*z*)

(x) Vid. OCKEL de præſcriptione immemoriali cap. 2. §. 22. ſeqq. SCHILTER ad jus feudale allemanicum cap. 1.

(y) Vid. Ill. COCCEIUS jurispublici prud. cap. 25. B. HERTIUS diſſ. de origine ac progreſſu ſpecialium in Germania rerum publicarum D. GUNDLINGIUS de feudis vexilli.

(z) Id in anteceſſum monere debeo, juribus, quæ nobilitati ratione prædiorum competunt, qualia ſunt, quæ recenſebimus, etiam plerumque frui ignobiles prædiorum nobilium poſſeſſores, ut adeo & in hunc ſenſum poſſit accipi dictum: nobilitatem Germanorum in prædiis eſſe fundatam, quod alias optime Dn. KRESS c. d. cap. 2. §. 5. de præclaro indicio nobilitatis, quod poſſeſſio prædii ruralis liberi, ſecundum analogiam juris Germanici præbet, interpretatus eſt.

SECTIO II.

DE ORIGINE PRAECIPVORVM QVORVNDAM IVRIVM NOBILITATIS GERMANICÆ.

Caput I.

De Jure ſtatuum provincialium.

§. I.

Plurima Imperia qua libera voluntate coaluerunt, initio limitata fuerunt.

Libertatis amor, & deſiderium facultatis ex proprio arbitrio atque judicio de ſuis rebus & actionibus ſtatuendi, ita commune & quaſi innatum eſt univerſo generi humano, ut, illa repudiata, imperio civili ſe non inevitabilis neceſſitas id poſtulaſſet. Interim affectus hic, omnibus hominibus natura inditus, me movet, ut credam, in pauciſſimis civitatibus libera voluntate coalitis (*a*), ita uno velut momento potuiſſe obliviſci cives

(a) De origine civitatis magna diſputatio eſt inter eruditos. Ariſtoteles hominem animal politicum dixit, quod ſua natura & per ſe ad ſocietatem civilem feratur. Sed hæc ſententia ſatis eſt exploſa. vid. HOBBES de cive cap. 1. §. 2. CONRINO de civili prudentia cap. 6. pag. 81. 82. DN. GUNDLING diſſ. ſtatus naturalis Hobbeſii defenſus §. 9. ſeqq. Originem civitatum mutuo metui adſcribunt Hobbeſius cit. l. §. 7. ſeqq. PUFENDORF de Jure Nat. & Gent. lib. 7. cap. 1. §. 7. ſeqq. HERTIUS element. civilis prud. part. 1. ſect. 11. §. 3. Hi, quamquam invenerint ſectatores, non

Digitized by Google

civespriſtini ſtatus, ut confeſtim unius arbitrio ſe ſuamque ſalutem committerent, & poteſtatem regum vel prin-

non defuerunt tamen, qui ab iis recederent, eo quod hiſtoria ſacra nos doceat, non pios & probos conditores rerumpublicarum fuiſſe, ſed improbos: de Caino enim primo dici, quod civitatem condiderit, & ideo non tam liberæ voluntati, quam violentiæ civitates ortum debere concludunt. Vid. ill. THOMASIVS de hominibus propriis §. 17. & de jure dandæ civitatis. B. TITIVS ad Puſendorf. de officio hominis & civis obſerv. 547. doctiſſ. BOEHMERVS juris public. univerſ. part. ſpecial. lib 1. §. 11. ſeqq. Mihi media via cum Dn. GVNDLINGIO in via ad veritatem part. III. cap. 33. §. 6. ſeqq. eligenda videtur, qui quidem introducti imperii cauſam ſtatuit metum, quo moti & mali, & boni, una vivere decreverint, tum, ut a feris animalibus, quorum, uti B. PERIZONIVS in originibus Babylonicis pag. 229. 231. 234. erudite obſervavit, magna fuit copia in terra Sinear, tuti eſſent, tum, ut boni contra inſultus malorum ſe defendere, mali autem eo fidentius bonos ad defenſionem ſeſe accingentes invadere valerent, quo factum, ut partim per vim, partim ex libera proprii juris renunciatione, ſit coortum imperium civile. Num vero prima, quæ unquam fuit, reſpublica a piis ſit condita, an ab impiis, an libera voluntate, an vero coacti in illam coierint, certo dici nequit, nec ſcire noſtra intereſt; quæ de Caino in medium feruntur, parum probant impiis hoc eſſe attribuendum, cum accuratiores interpretes eum non tam urbem, quam ſpeculam ſive turrim ædificaſſe notarint. Cui enim in ea hominum paucitate talis urbs uſui? Igitur valde probabilis videtur ſententia B. PERIZONII Orig. Babylon. cap. 3. pag. 33. 34. & Clariſſ. DITMARI diſſ. de ſtatu politico ante-diluviano §. 3. lit. i. qui putant, non eam eſſe ſcripturæ ſacræ mentem, ac ſi Cainus extruxerit urbem, & civile imperium condiderit, ſed illam tantum indicare, quod fixam poſuerit ſedem, & quia agriculturæ erat deditus, in certo loco, quem Hanoch appellavit, cum ſua familia habitare ceperit, dum reliqui agerent vitam paſtoritiam, atque Nomadum more hinc inde vagarentur. Ceterum non nego, imprimis in oriente, multis imperiis violentiam ortum dediſſe, unde deſpoticus regnandi modus ab omni ævo ibi viguit. De Europæis imperiis aliter ſentiendum quippe quæ initio maximam partem populares, & valde liberæ fuerunt.

Digitized by Google

principum, ipſorum voluntate conſtitutorum, nullis includerent limitibus. Multo probabilius eſt, & exemplis firmari poteſt, plerumque ita inter imperantes & ſubditos conventum eſſe, ut in gravioribus negotiis communem ſalutem concernentibus, hi in conſilium eſſent adhibendi, eorumque conſenſus impetratus, atque adeo in plurimis civitatibus, ſecundum primævam formulam delati imperii, non potuiſſe Regem (b) pro lubitu omnia conſtituere, ſed magnam quoque fuiſſe autoritatem ordinum vel populi. Me quidem non fugit, irregularem dici rempublicam ſi non in una perſona, vel phyſica vel morali omnia jura majeſtatica eo modo coaleſcunt, ut unam voluntatem totius civitatis, unamque quaſi vitam atque animam efficiant, atque adeo ita ſit connexus ſtatus, ut omnis ſcisſio evitetur, & controverſiæ tollantur (c); quod non facile obtinetur, ubi ſumma poteſtas cum aliis communicatur, ita, ut hi ſibi invicem contradicere poſſint, & proinde duæ vel plures animæ aut voluntates in uno corpore civili vigeant, quæ, ob maximam diverſitatem appetitionum humanarum, raro in unum conſpirant. Verum enim vero penſitandum eſt viciſſim 1. non levia

(b) Ita CONRINO in animadverſ. politic. ad Machiavelli principem cap. 3. not. b: Mixti principatus ſane rectius illi audiunt, in quibus ſumma reip. poteſtas non omni ex parte penes principem eſt, ſed ex parte etiam penes alios Quod genus principatus omnium eſt difficillimum conſervatu: apud Europæos tamen populos, Germanicæ cum primis ac Sarmaticæ originis, ſemper frequentiſſimum. Add. Idem diſſ. de differentiis regnorum §. 14. Balthaſar CELLARIVS politic. ſuccincta lib. II. cap. 6. § 9. 22. Thom. SMITHVS de republica Anglorum lib. 1. cap. 6. Ulricus HVBERVS de jure civitatis lib 1. ſect. 3. cap. 5. §. 24. ſeqq.

(c) Clariſſ. GVNDLINO in via ad veritatem part. 3. cap. 36. §. 2. 31.

via quoque incommoda reſpublicas regulares comitari, quando tot animorum ſalus unius perſonæ vel collegii arbitrio committitur. Sunt tam imperantes imperfectionibus obnoxii, quam ſubditi, qui, ſi potentia, qua pollent, abutuntur, irreparabile damnum civitati inferre poſſunt (*d*). Et quamvis largirer melius finem civitatis obtineri in republica regulariter, tamen non poſſum mihi perſuadere 2. primos homines, qui admodum rudes & in-

con-

(d) Optime Cæſarinus FVRSTENERIVS de jure ſuprematus cap. II. quamquam non negem, diviſa ſumma poteſtate multos diſſenſus oriri poſſe, imo, ſi unusquisque in ſententia perſtet, bella; experimento tamen conſtat, homines plerumque medias quasdam vias tenere, ne ſummam rerum pertinacia ſua diſcrimini committant. Manifeſto omnibus exemplo eſſe poſſunt reſpublicæ Polonica & Belgica: apud Polonos comitia unus nuntius terreſtris ſolvere poteſt ſua pertinacia; apud Batavos, cum res maximi momenti, ut pax, bella, fœdera agitantur, unius oppidi diſſenſus omnia ſubvertit: & tamen prudentia eorum, qui rerum ſummæ præſunt, pleraque ſententia conficiuntur. Imperia Hobbiana (i. e. plane abſoluta) neque apud moratiores gentes, neque apud barbaros exſtare arbitror, neque poſſibilia, neque optanda cenſeo; niſi illi, penes quos ſumma rerum eſſe debet, Angelicis virtutibus polleant. Tamdiu enim homines retinendam judicabunt propriam voluntatem & ſuæ ſaluti, prout optimum videbitur, conſulent, quamdiu de rectorum ſumma ſapientia & potentia perſuaſi non erunt, quod ad perfectam voluntatis reſignationem neceſſe eſt, Locum ergo demonſtrationes Hobbianæ in ea tantum republ. habent, cujus Rex Deus eſt: cui ſoli tuto per omnia confidi poteſt. Incommoda abſoluti imperii non ſatis percipientibus hiſtoria imperatorum eſt legenda, &, in quantum diſcrimen Tiberius Caligula, Nero, Vitellius &c. adduxerint cives, perpendendum: Nec deſunt ex hiſtoria noſtri ævi exempla, quibus hoc firmari poſſit. Conf. Gerard NOODT Bataviæ decus in orat. de jur. ſummo imperii PVFENDORFIVS de Jure N. & G. lib. 7. cap. 6. §. 7. B. TITIVS ad Puſendorſium de (!, N. & G. obſerv. 601. Thomas SMITHIVS de republica Anglorum lib. 1. cap. 8.

Digitized by Google

conditi fuerunt, (*e*), tam exactam civitatis & bonorum ac malorum eam comitantium cognitionem habuiſſe (*f*), ut inde moveri potuerint ad penitus ſupprimendum affectum naturalem ſuo ſe arbitrio movendi & judicandi de propria utilitate. Potius 3. exiſtimo ambitionem & amorem libertas effeciſſe, ut tutius & utilius crediderint, aliquid ſibi poteſtatis reſervare, quo imperantes imprudenter aut male agentes impedire poſſent. Hæ rationes mihi perſuadent, ut exiſtimem, magis vi & coactione, quam libera voluntate eſſe coalita, quæ primis temporibus extiterunt imperia abſoluta.

Europeæ gentes, præſertim autem Germani, libertatis ſemper tenaciſſima fuerunt.

§. 2. De Europæis Gentibus imprimis dici poteſt, quod libertatis ſemper tenaciſſimæ fuerint. Illarum enim admodum paucæ abſolutum imperium tolerare potuerunt, &, ſi quæ adſtrictius reguntur hodie, recentiori ætate variis artibus, vel vi ſub jugum miſſæ ſunt. Affirmationem hanc multis teſtimoniis, tam veterum quam recentiorum, comprobare poſſem, ſi brevitatis ſtudium id permitteret, nec res jam alias ſatis clara foret. Ergo, quod præprimis noſtri inſtituti eſt, de Germanis tantum agemus, monſtraturi eos a deſpotiſmo ſemper abhorruiſſe. Cornelius Tacitus ſatis luculentus hujus aſſerti teſtis eſt, quando in aureo libello de ſitu, moribus, & populis Germaniæ cap. 7. dicit: *Nec Regibus* (Germanorum) *infinita aut libera poteſtas.* Et cap. 2. *de minoribus rebus principes conſultant, de majoribus omnes, ita tamen, ut ea quoque quorum penes plebem arbitrium eſt, apud principes pertractentur; Rex vel Princeps, prout ætas cuique, prout nobilitas, prout decus bello-*

(e) Vid. Dn. Lvdwig diſſ. hiſtoria ſine Parente §. 1. lit. C.
(f) Vid. B. Titivs cit. l. obſ. 547.

Digitized by Google

bellorum, prout facundia eſt, audiuntur, auctoritate ſuadendi magis, quam jubendi poteſtate. Si diſplicet ſententia, fremitu aſpernatur: ſin placuit, frameas concutiunt. Nec non *Annal. XIII. cap.* 54. §. 1. ubi dicit, Verritem atque Malorigem regere Friſiorum nationem addit. *in quantum Germani regnantur*; Quo nil aliud indicare voluit, quam laxiſſimum eſſe imperium, quo Germani regnentur. Quando poſtea, circa initium ſeculi III, varii illi Germanici populi, qui hactenus plane ſeparati egerant, ſe conjunxeruut, & in pauciores gentes coierunt, plurimis quidem monarchicum regimen arriſit, utpote quod fini, quem ſibi maxima pars præſtituerat, Romanos invadendi & in alias migrandi regiones, convenientius erat, nihilominus quidam, uti Saxones, ita libertatis amantes fuere, ut nec tunc reges tolerare potuerint, ſed ſatrapis quibusdam regimen concrediderint, ſolummodo tempore belli ducem, qui imperaret, conſtituentes. Docet hoc BEDA (*a*): *antiqui Saxones*, inquit, *regem non habent, ſed Satrapas plurimos genti ſuæ præpoſitos, qui ingruente belli articulo mittunt æqualiter ſortes, & quemcunque ſors intenderit, hunc tempore belli ducem omnes ſequuntur, & huic obtemperant, peracto autem bello rurſus æqualis potentiæ omnes ſatrapæ fiunt.*

§. 3. Franci quidem reges habuerunt, an vero illorum imperium fuerit Monarchia plane regularis, ita, ut pro lubitu, etiam diſſentientibus ordinibus, quæcunque ſtatuere potuerint, id dubium eſt, & diligentiori inquiſitione dignum. Affirmant B. HERTIUS (*a*) & B. Ti-

Francorum Reges limitata poteſtate gaudebant.

(a) Hiſtor. Eccleſ gentis Anglorum cap II. Conf. Conr. Samuel SCHURTZFLEISCH diſſ. de Witichindo magno §. 3. lit. c §. 8. lit. u. §. 9.

(a) In notitia veteris regni Francorum cap. 4. §. 3.

B. Titius (*b*) & D. Burchard Gotthelf Struvius (*c*). Negant Schilterus, & multi alii (*d*), quibus ut album calculum adjiciam, non ſolum me movet genius nationis Germanicæ libertatis cupidiſſimus, qui præſumi vetat Francos antea liberos, & a libertate probabiliter nomen adeptos, contra morem Germanorum, ſine ulla reſtrictione arbitrario regimini Regis ſe ſubmiſiſſe (*e*), ſed etiam ipſa teſtimonia legum & hiſto-rico-

(b) Annotat. ad vindic. Vitriar. p. 110.

(c) In ſyntagmate juris publici diſſ. 22. §. 1.

(d) Hottomannus Franco-Gall. cap. 7. 12. 13. 14. B. Huoo de ſtatu regionum germaniæ cap. 4. §. 4. Schilter de libertate eccleſiarum Germaniæ lib. 1. cap. 3. §. 3. lib. 3. cap. 1. §. 10. cap. 5. §. 1. cap. 8. §. 25. Ill. Cocceius orat. de lege ſalica pag. 7. Jo. Lehman Speiriſche Chronick lib. 2. cap. 4. doctiſſ. Pfeffinger in commentario ad Vitriarii inſtitutiones juris publici lib. 2. tit. 10. lit. d. noviſſ. edit.

(e) Ita Ill. Cocceius cit. loc. Fuiſſe ſemper apud Francos Germanos talem procerum ſalam ſive curiam, cum maxima poteſtate, adeo, ut ſine ejus auctoritate nec publica regni negotia tractari, aut definiri, nec leges aut jura conſtitui potuerint, nemo auctorum eſt qui ambigat &c. Et alio loco: Electo poſtea rege, quem curia hæc ex ſuis elegerat; ad cujus electionem ſpontaneo motu & nemine cogente proceſſerat; an ideo id fecerunt, ut curiam ſolverent? ne participes eſſent conſiliorum publicorum? ut omni libertate aut auctoritate ſe exuerent? num tæduit illos auctoritatis? num pœnituit imperii? an ad privatorum conditionem redigi maluerunt? cedere ducatibus? deſcendere e media reipublicæ luce, & ad pedes novi regis expectare, quæ munia ipſis obeunda. quid abſoluto regis imperio ipſis ferendum; hæc vero quis unquam ſibi perſuadeat de Francis, ſi cogitet, quam tenaces ſemper illi fuerint libertatis, quot non dicam pro libertate, ſed pro nomine libertatis, pugnata ipſis fuerint bella, quot domitæ difficultates, quot ſubacti ſuperatique labores? hoſce vero Francos, foris tot triumphatis gentibus, ipſisque gentium victoribus ſæpe devictis, domi neglecta libertate, regis arbitrario regimini & abſolutæ poteſtati ſubjicere ſe voluiſſe, nec reſervaſſe ſibi, ut publicis regni negotiis atque decretis accedat ſummæ regni curiæ, qua populus repræ-

Digitized by Google

ricorum limitatam regum poteſtatem, & auctoritatem populi ſatis aperte prodentia. Nam 1. ipſi HERTIO allegata lex Salica tit. 41. 59. 76. indicat, in judicando fuiſſe regi præſcriptam certam normam, quam transgredi non licuerit, quod cum imperio abſoluto neutiquam conſiſtere poteſt. 2. Inſigne libertatis Francicæ & reſtrictæ poteſtatis, qua gaudebant reges, exemplum nobis impertit GREGORIUS TURONENSIS, lib. 2. cap. 37. cum enim Clodovæus Rex urceum, eccleſiæ cuidam a ſuis ablatum, epiſcopo roganti vellet reſtituere & eapropter, cum præda dividenda eſſet, ſuos ita alloqueretur: *rogo vos, o fortiſſimi præliatores*, ſunt verba Turonenſis, *ut ſaltem mihi vas illud extra partem concedere non abnuatis. Tunc, quamquam reliqui omnes conſentirent unus levis, inſidus ac facilis, cum voce magna elevatum bipennem urceo impulit, dicens: nihil hinc accipies, niſi quæ tibi ſors vera largitur. Ad hæc, obſtupefactis omnibus, Rex injuriam ſuam patientiæ lenitate coercuit, acceptumque urceum nuntio eccleſiaſtico reddidit, ſervans abditum ſub pectore vulnus. Transacto vero anno juſſit omnem cum armorum apparatu advenire Phalangem, oſtenſuram in campo Martio ſuorum armorum nitorem. Verum ubi cunctos circuire deliberat, venit ad urcei percuſſorem, cui ait: nullus tam inculta, ut tu, detulit arma: nam neque tibi haſta neque gladius, neque ſecuris eſt utilis &c. Et adprehenſam ſecurim ejus in terram dejecit. At ille cum paululum inclinatus fuiſſet ad colligendam eam, rex elevatis manibus ſecurim ſuam capiti ejus defixit. Sic, inquit,*

 tu

ſentatur, conſenſus atque auctoritas? Conf. CONRINO annot. ad Lampadium part. 3. cap. 2. §. 1. Jacob BRUNNEM. jurisprud. public. diſſ. 2. §. 3. & 5.

tu apud Sueſſionas in urceo illo feciſti. Quo mortuo reliquos abſcedere jubet; magnum ſibi per hanc cauſam timorem ſtatuens. Si abſoluta poteſtate regnaſſet Clodovæus, quid, quæſo opus fuiſſet rogare conſenſum militum, ut aliqua particula prædæ reſtitueretur? Quid impedire illum potuiſſet ruſticitatem militis, quam ægre ferebat, ſtatim coercere (*f*). Non afferam, quæ idem Turonnenſis de patre Clodovæi Childerico narrat, ob nimiam nempe libidinem illum deturbatum eſſe ſolio, regnoque ejectum, quod vitium alias in plena ſervitute, & ſub principe poteſtatis abſolutæ pro peccatillo haberi ſolet, uti notat Ill. THOMASIUS (*g*). Poſſes enim forte objicere doctiſſ. Gallum P. DANIELEM, non contemnendis rationibus motum, de veritate totius hiſtoriæ dubitaſſe. Potius id, tanquam non parum ponderis meæ ſententiæ tributurum adducam, quod 3. graviſſima regni negotia in comitiis ſunt tractata, & conſenſu populi corroborata (*h*). Leges ejus conſenſu eſſe conditas docet inſcriptio legum Bajuvariorum, quæ ita habet: *hoc decretum eſt apud regem, & principes ejus & apud cunctum populum Chriſtianorum, qui infra regnum Mervumgorum conſiſtunt* &c. nec non inſcriptio legum Allemannicarum: *incipit lex Allamanorum, quæ temporibus Clotharii regis una cum principibus ſuis, id ſunt 33. epiſcopis & 34. ducibus, & 72 comitibus, vel cetero popu-*

(f) Vid. LEHMANNI Speierſche Chronicke lib. 2. cap. 4. pag. 53. Illuſtr. THOMASIUS diſſ. de orig. Feud. §. 13 lit. g

(g) Ill. THOMASIUS cit. l

(h) Vocabantur hæc placita, quia latina conſuetudine placitum id proprie dicitur, quod re in multorum conſilio quæſita, & deliberata tandem inter ipſos placuit Franc. HOTTOMANNUS Franco-Gall. cap. 11.

Digitized by Google

populo conſtituta eſt. Bene igitur Vadianus (*i*): *dabantur autem & legibus vel ſanciendis, vel reformandis publici conventus, in quibus amplum & honorificum locum optimates tenebant.* Controverſiarum circa ſucceſſionem regni deciſionem ordinibus competiiſſe patet ex reſponſione, quam Clotharius Brunechildi dabat: *Conventus ſcilicet nobilium debere eam aggregare Francorum, & communi tractatu de communibus conſulere rebus: ſe vero judicio illorum in omnibus pariturum* (*l*). Inprimis autem auctoritas populi inde elucet, quod ipſi majores domus ab optimatibus & populo fuerunt conſtituti (*m*). Nemo apud Francos majori auctoritate & prudentia regnavit quam Carolus M., interea tantum abeſt, ut pro arbitrio aliquid ſuſceperit, ut potius in omnibus rebus quæ alicujus momenti erant, prius de ſtatuum conſenſu fuerit ſollicitus. Illos ad leges condendas eſſe adhibitos fatetur Imp. ipſe in diplomate de fundatione aquisgranenſis Baſilicæ Marianæ, inſerto diplomati Friderici Barbaroſſæ aquisgranenſibus dato (*n*). Inquit: Deinde prout cunctis placuit prudentioribus regni noſtri, legem Saxonum, Noricorum - - - ſicut mos & poteſtas Impp.

(i) De collegiis & monaſteriis veterum Germanorum apud GOLDASTUM rer Alleman. tom. 3. pag. 8.

(l) AIMOINUS de geſtis Francorum lib. 4. cap. 1.

(m) Vid. Appendix Gregorii Toronenſis lib. 11. cap. 54. ibi: Clotharius cum proceribus & leudibus Burgundiæ Trecasſinis conjungitur: cum eos ſolicitaſſet, ſi vellent, mortuo jam Warnhario, alium in ejus honoris gradum ſublimare: ſed omnes unanimiter denegantes ſe nequaquam velle majorem domus eligere, Regis gratiam obnixe petentes cum rege transegere. B. HERTIUS in not. vet. reg. Francorum cap. 4. § 4. & de origine ac prog. ſpec. in Germ. rerumpublicarum §. 4. DITMARUS diſſ. de vicar. Imperii pag. 6.

(n) Apud Aubertum MIRAEUM Faſtor. Belgic. pag. 55.

Digitized by Google

Impp. eſt, & omnium anteceſſorum meorum ſemper fuit, diſtinxi, diſtinctam ſub autoritate Regia & Imperatoria ſtabiliui, *non ex mea adinventione aut corde prolatam, ſed communi conſilio & generali conventu totius Galliæ a me renovatam* ...... Scitis enim & neminem latet, quia quicquid a Impp. & regibus præceptum & decretum eſt, ſemper ratum, & pro lege tenendum eſt, ne *quod ab univerſis ſenſatis, & juſta ſatis diſcretione vivere volentibus imperatum & actum eſt, &* noſtra imperatoria & regia majeſtate confirmatum & ſolidatum, violetur. Nunc patres, fratres & amici, fautores & coadjutores gloriæ regni noſtri de omnibus ſtatutis patris mei Pipini, quæ ... firmari ac renovari petiiſtis .. nihil minui, nec abnui, ſed in melius ampliavi, *omnium ſanis conſiliis acquievi, & fui in medio veſtrum quaſi unus de quærentibus & petentibus æquitatem legis nulli* contradicens aut renitens dignæ & rectæ petitioni &c. Idem expreſſe dicitur in capitulari, quod anno 997. in comitiis Aquisgranenſibus latum, ubi: *omnes unanimiter conſenſerunt & aptificaverunt* & cap. 9 ejusd. *ſi Rex voluerit legem de banno mutare, ut fieret cum conſenſu Francorum & fidelium ſaxonum. it. lib. 6 Capitul. c. 371 quando vita comite, Deo auxiliante, ad generale placitum venerimus, conſultu omnium fidelium noſtrorum ſcriptis firmare noſtris noſtrorumque, atque futuris temporibus inrefragabiliter manenda firmiſſime Domino adminiculante cupimus.* Et Carolus Cavus clarius hæc exprimit *in capitul. anno* 873. Cariſiaci latis, apud BALVZIVM *Tom. 2. capitul. p.* 231. *cap. 8. Capitula avi & patris noſtri, quæ Franci pro lege tenenda judicaverunt, & fideles noſtri in generali placito noſtro conſervanda decreverunt.* Eadem reperies *in*

capi-

capitulis apud Cariſiacum latis anno 875. Tom. 2. pag. 269. *cap.* 2. Quid? quod videmus ſubſcripſiſſe populum novis capitulis. Inquit *capitulare III. anno* 803. *cap.* 29. *ut populus interrogetur de capitulis, quæ in lege noviter addita ſunt. Et poſtquam omnes conſenſerint, ſubſcriptiones & manufirmationes ſuas in ipſis capitulis faciunt.* (o) Antequam bellum in Saxones decrevit, generalem conventum Wormatiæ habuit (p). Thaſſilo a Bajoariis criminis læſæ majeſtatis accuſatus, in generali conventu populi judicabatur, & *uno omnium aſſenſu damnabatur. Cum omnes capitalem ſententiam proclamarent, Rex, miſericordia motus, eo quod conſanguineus ejus eſſet, obtinuit ab ipſis Dei & ſuis fidelibus* (*i. e. ordinibus*), *ne moreretur* (q). Quod condiderat teſtamentum Carolus M. ordinum conſenſu confirmari curabat. Bene SCHVRTZFLEISCH (r): *Ad confirmandum hoc teſtamentum accivit Francorum ordines, quorum permagna erat auctoritas in publicis regni negotiis, quorum ſuffragio in comitiis, atque in rebus arduis utebatur, id quod placita eorum temporum evincunt. Non enim in ſpeciem aut commendationis gratia tantum requirebatur conſenſus procerum, ſed cupiebat, ut vim haberet, nec ſine effectu eſſet.*

Cum

(o) Pluribus hæc probavit Stephanus BALVZIVS Galliæ decus in doctiſſima præfatione, quam Capitularibus Regum Francorum præmiſit.

(p) Annales Reuberiani ad a. 772. Monachus Egoliſmenſis apud Schilterum pag. 47.

(q) Annal. Reuberiani ad ann. 788. Monachus Egoliſmenſis apud Schilterum pag. 253. REGINO II. 2. conf. CONRING de jud. reip. German. §. 23. 24.

(r) Diſſ. de diviſ. imperii Carolingici §. 19. add. diſſ. de regno Auſtraſiæ cap. 2. §. 2.

Cum filium Ludovicum pium in conſortium regni aſſumeret, proceres convocatos interrogabat omnes, ſi iis placuiſſet a maximo usque ad minimum, ut nomen ſuum i. e. imperatoris filio ſuo Ludovico tradidiſſet, & demum, illis omnibus conſentientibus jubebat filio, ut ipſe coronam capiti imponeret (s). Refert AIMOINUS *de geſtis Franc. lib. 5. c. 56.* de Ludovico Caroli Calvi filio: *Et iter agens per Cariſiacum, . . ad monaſterium St. Dionyſii martyris pervenit: ubi audivit patrem ſuum Vercellis ſepultum, & regni primores, tam abbates, quam comites indignatos, quia quibusdam honores dederat ſine illorum conſenſu & ob id adverſum ſe conſpiraſſe. Ipſi autem primores cum Richilde diripientes omnia, quæ in villa illorum erant, usque ad Avennacum monaſterium pervenerunt & conventum ſuum usque ad montem Witmarium condixerunt, indeque legatos ſuos ad Ludovicum direxerunt, ſed & legatos ſuos ad eos direxit* &c. Videsne quidem permiſiſſe Ordines, ut de muneribus regni pro arbitrio diſponeret rex. Superfluum erit plurimis exemplis probare, quod in conventibus regni aſſenſu & conſilio ordinum reges ſunt electi & uncti, illorum controverſiæ deciſæ, ipſi depoſiti, illis tutores conſtituti, bellum & pax decreta, principes imperii judicati &c. otium enim hic nobis fecit vir eximiæ eruditionis Johan. Frid. PFEFFINGERUS (t), qui laudabili induſtria ex antiquitate patria omnes imperii conventus ſolennes, usque ad ſeculum XIV, notavit, & retentis integris aucto-

(s) THEGANUS de geſtis Ludovici Pii apud Schilterum. EGINHARDUS apud Freherum Tom. 2. p. 442.

(t) In commentario ad Vitriar. inſtit. jur. publicis p. 73. usque ad 170.

Digitized by Google

auctorum verbis, quid in ſingulis geſtum ſit, in unum collegit.

§. 4. Sed age, videamus, quæ argumenta a B. Hertio & D. Struvio noſtræ ſententiæ opponantur. Provocat ille ad reſponſionem, quam Gregorius Turonenſis Childerico Regi ipſum objurganti dat (a): *Si quis de nobis, o Rex, inquiebat, juſtitiæ tramitem tranſcendere voluerit, a te corrigi poteſt. Si vero tu exceſſeris, quis te corripiet? Loquimur enim tibi, ſed, ſi volueris, audis: ſi autem nolueris, quis te condemnabit, niſi is, qui ſe pronunciavit juſtitiam.* Verum ſi æqua mente ponderantur hæc verba, ſatis liquet; 1. Turonenſem non abſolutam Childerico poteſtatem tribuere, ſed ſaltem id velle, Regem armatum & potentem, ſi alicui injuriam inferat, non poſſe in jus vocari tanquam homo privatus, ut coram judice factorum ſuorum rationem reddat, atque adigatur læſis ſatisfactionem præſtare, ſed ejus judicem eſſe Deum. Hic autem rarius immediate punit, ſed utplurimum mediante populo, vel aliis hominibus, quibus ſanam rationem impertiit, ut malis obicem ponant, & conſervationi ſuæ omnibus modis ſtudeant. Quicquid enim jubente ratione fit ab hominibus, id Dei voluntate fieri intelligendum eſſe, egregie docet Celeberr. Noodt (b). Non E. Gregorius populo denegat jus Regi reſiſtendi, ſi limites poteſtatis ipſi conceſſæ transgreditur, dum Deum de eo poenam ſumturum ait. Dein, ſi antecedentibus & conſequentibus perlectis, qua occaſione hæc dicta ſunt, cernitur, clare patet, 2. non alia ex

Confutantur Hertius & Struvius, qui vota ordinum ſaltem conſultativa fuiſſe aſſerunt.

 ratione

(a) Hiſt. lib. 1. cap. 19.
(b) Orat. de jure ſummi imperii.

ratione ita locutum eſſe Turonenſem, quam ut iram regis & reginæ mitigaret, qui ægre ferebant, quod innocentem epiſcopum perſequentibus non applauderet. Ex talibus autem verbis non firmius argumentum petitur, quam ſi quis poteſtatem regis ex literis ſupplicibus vel gratulatoriis, quas a ſubditis ſuis accipit, metiri vellet; vel ſi ex verbis clientis, qui patrono, cujus favorem ambit, adulatur, omnemque rem in eo eſſe poſitam dicit, concluderetur, unice negotium ejus arbitrio agi, illumque abſoluta & dictatoria poteſtate gaudere. Potius 3. inde magna præſumptio oritur, non omnia ex ejus nutu pependiſſe, quod ita ſolicitus fuerit de conſenſu epiſcoporum impetrando, ideoque Gregorium non tantum minis terrere, ſed etiam donationibus corumpere laboraverit, ne ipſi contrarius eſſet, indicio manifeſto, non potuiſſe eum pro arbitrio reum condemnare. Ipſe Gregorius *hiſt. lib. I. cap.* 19. ita rem narrat: Deinde precantur pueri (a regina ad illum ablegati) *ut in ejus cauſis contrarius non exiſtam, ſimulque ducentas argenti promittunt libras, ſi prætextatus me impugnante opprimeretur. Dicebat enim: jam omnium epiſcoporum promiſſionem habemus, tantum tu adverſus non incedas. Quibus ego: ſi mihi mille libras auri argentique donetis, nunquam aliquid facere poſſum, niſi quod Dominus agi præcepit. Vnum tantum polliceor, quod ea, quæ ceteri, ſecundum canonum ſtatuta, conſenſerint, ſequor.* Rex magis actoris, quam judicis partes egiſſe videtur. Ipſe enim capita accuſationis apud multitudinem Francorum propoſuit, & cum epiſcopus, ſub ſpe obtinendæ gratiæ, dolo inductus ſe reum confiteretur, *Rex proſternitur coram pedibus ſacerdotum*, (ſunt verba Turonenſis)

ſis) *dicens: Audite, piiſſimi ſacerdotes, reum crimen exſecrabile confitentem.* Et porro: *his ita geſtis petiit Rex, ut aut tunica ejus ſcinderetur, aut centeſimus octavus Pſalmus, qui maledictiones Iſchariotiċas continet, ſuper caput ejus recitaretur, aut corde judicium contra eum ſcriberetur, ne in perpetuum communicaret. Quibus conditionibus ego reſtiti, juxta miſſum regis, ut nihil extra canones ageretur.* Denique (4) licet concederem etiam diſſentiente clero potuiſſe Childericum ad effectum perducere, quae intendebat, & non niſi ex prudentiae regulis deſideraſſe, ut epiſcopi approbarent facta ſua nihil, tamen inde ſequeretur, quam illi jus circa ſacra plene competiiſſe; (quod jam non diſputamus). Sunt enim verba interpretanda juxta ſubſtratam materiam, quae erat depoſitio, & poena epiſcopi, inde autem ad abſolutam poteſtatem argumentari neutiquam poteris. Secundus locus Gregorii Turonenſis *lib. 2. cap. 27.* quo nos impetit B. Hertius, multo minus probat, quod probandum eſt. Deſumſit illum ex hiſtoria Clodovaei, §. praecedenti relata, ubi nos reſtrictae poteſtatis regiae argumentum reperiri exiſtimavimus. Cum enim rex milites rogaret, ut in reſtitutionem urcei eccleſiae ablati conſentirent, reſpondebant illi: *omnia glorioſe, Rex, quae cernis tua ſunt ſed & nos ipſi tuo ſirmus dominio ſubjugati. Nunc, quod tibi beneplacitum videtur, facito: nullus enim poteſtati huic reſiſtere valet.* Sed quis non videt, tota hiſtoria perlecta, non niſi adulationis gratia, ut humanitatem humanitate compenſarent, ita locutos eſſe milites: cur, quaeſo! ablegato epiſcopi non pure, ſed ſub conditione, ſi ipſi ſors vas dederit, reſtitutionem promiſiſſet. Quid opus fuiſſet, ita dulcibus verbis conſenſum militum

impetrare; &, ſi forte dixeris, noluiſſe uti regem, qua gaudebat poteſtate, ut eo arctius ſibi animos ſuorum devinceret, quis tamen ejusmodi audaciam concipere poterit, ut regi ſumma ac abſoluta poteſtate prædito, & cujus beneficio acceptum ferre debet exercitus, quod in partem prædæ veniat, miles contradicere non erubeſcat; quoniam eccleſiæ injuſte ablata reſtituit, vel, ſi, parum a dementia abſuiſſe hunc hominem forte exiſtimes, quis concipere poterit, dico, patientiam regis talem ferociam, qua ipſa majeſtas lædebatur, & quam ægerrime ferebat, non ſtatin graviſſimis ſuppliciis coercentem, niſi mecum dixeris, ita laxum fuiſſe imperium, quo Francos moderabantur, Reges ut non inſolitum & poena dignum fuerit illis contradicere. Si benignus lector cum iis, quæ §. præced. attulimus, hæc conferet, vix dubito, quin nobiscum crediturus ſit, non fuiſſe intentionem Francorum regem eligentium, ut abſoluta poteſtate ille imperaret, nec Mærovingos eam unquam obtinuiſſe.

Etiam ſub Carolo M. ejusque ſucceſſoribus ſartam tectam ſervarunt auctoritatem ordines.

§. 5. Verum, quando ad tempora Carolingorum deſcendimus non ita plana & expedita res eſt, ſed nonnullæ difficultates occurrunt, quæ, quo ſuperentur, laborandum. Exiſtimat enim B. Hertius ea, quæ de deliberatione in conventibus procerum ſupra adduximus, non ita eſſe accipienda, ac ſi in gravioribus negotiis nil potuiſſet peragi diſſentientibus ordinibus, ſed illos tantum in conſilium eſſe adhibitos, citra communicationem jurium majeſtaticorum, eorumque vota conſultativa fuiſſe, non deciſiva. Probat hoc aſſertum ex Hincmaro Epiſcopo Remenſi, in rebus conſiliisque Francorum admodum verſato, qui epiſt. 3. cap.

cap. 34. (*a*) ait: *Optimates* (in conventibus) *deliberaſſe, donec res ſingulæ ad effectum perductæ, glorioſi principi, auctoritate in ſacris ejus obtutibus exponerentur, & quicquid data a Deo ejus ſapientia eligeret, omnes ſequerentur.* Addit D. STRUVIUS (*b*), in prooemiis capitularium plerumque occurere, quod *conſultu* Epiſcoporum, Ducum & Comitum ſunt conſtituta, rarius mentionem fieri conſenſus. Non poſſum inficias ire, locum Hincmari, ſi ſolus inſpicitur, abſolutam Regum poteſtatem, & ordinum vota mere conſultativa innuere videre; quod ſi enim ea ſententia ab omnibus erat eligenda, quam eligebat Rex, reliqui omnes nil niſi conſiliarii fuerunt. Verum alia mens Hincmaro tribuenda videtur, quando perpendimus, 1. quod Mærovingi Reges poteſtate admodum limitata gaviſi ſunt, nullibi autem veſtigium extat, Pipino ſ. Carolo M. aut ejus ſucceſſoribus ampliorem eſſe delatam, quam nec affectaſſe eos credo, ne odium populi provocarent, cujus favore imprimis opus habent, qui noviter ad imperium perveniunt, & quidem non ita legitimo modo; quare utique præſumendum erit, eandem formulam imperii, quæ antea fuit, eſſe retentam, nec 2. ulla ſe probabilitate commendat opinio tantum conſilii capiendi, non conſenſus gratia totum populum fuiſſe convocatum; pauci ſunt rerum politicarum ita gnari, ut ab iis peti poſſint ſana conſilia regnandi, unde & auctor vitæ Ludovici pii ad annum 838. bene obſervavit, ad primores rem redire, quibus populus aſſentiat. Verba ejus ſunt: *cui judicio* (quo condemnabatur Ludovicus pius) *pauci contradixere;*

(a) In Magna Bibliotheca Patrum ſect. I. P. 2.
(b) In Syntagmate juris publici diſſ. 22. §. 5.

xere; plures aſſenſum præbuere: maxima pars, ut aſſolet in talibus, ne primores offenderent verbotenus conſenſere. Quid ergo opus fuiſſet tantam multitudinem, toties non ſine ſumtibus convocare, niſi illorum conſenſum deſideraſſet Rex, quem &, juxta auctorem Anonymum, magis impertiunt, quam conſilium, verum 3. quod maximi ponderis eſt, producamus ipſos Reges teſtes, auctoritatem ordinum agnoſcentes. Ita Carolus M. *in diplomate Aquisgranenſibus dato, apud* MIRAEVM; quod jam ſupra allegavimus §. 3. illos rogat, ut conſenſu ſuo privilegium aquisgranenſibus inpertitum confirmare velint, hiſce verbis: *Ergo veſtri decreti & petitionis voluntarius extiti, vos quaſi patres, & fratres audivi: nunc quæſo, ut meæ petitionis & intentionis non ſolum auditores, ſed & benevoli factores fieri velitis. Nec quod indecens aut intolerabile ſit quæro, ſed quod tota Gallia & univerſi Principes potius concedere, quam negare debent.* Si ſaltem conſiliarii fuiſſent ordines, cur quæſo, tam anxie, & tot lenociniis adhibitis illorum conſenſum rogaſſet Imp. Profecto dum deſiderium ſuum tale eſſe dicit, ut ipſi conſenſum denegare non debeant fatetur, niſi me omnia fallunt, poſſe ordines diſſentire, ſi deſideria ejus æqua non ſint. Ludovicus pius illos in partem imperii venire ait in capitul. 3. apud BALVZIVM pag. 633. *quanquam ſumma hujus miniſterii (i. e. regiminis) in noſtra perſona conſiſtere videatur, tamen & divina auctoritate, & humana ordinatione ita per partes eſſe diviſum cognoſcitur, ut unusquisque veſtrum in ſuo loco & ordine partem noſtri miniſterii habere cognoſcitur.* Adhuc evidentiora ſunt verba, quibus utuntur Ludovicus Germanicus & Carolus Calvus, quando in pacificatione

con-

Digitized by Google

confluentana cap. X. apud BALUZIUM Tom. 2. pag. 141. jura ordinum ita confirmant: *Ut noſtri fideles, unusquisque in ſuo ordine & ſtatu, veraciter ſint de nobis ſe uri, qui nullum abhinc, etiam antea contra legem & juſtitiam, vel auctoritatem ac juſtam rationem aut damnabimus, aut debonorabimus, aut opprimemus, vel indebitis machinationibus affligemus, ſed illorum, ſcil. veraciter nobis fidelium, communi conſilio ſecundum Dei voluntatem, & commune ſalvamentum, ac reſtitutionem ſanctæ Dei Eccleſiæ, & ſtatum regni, & ad honorem Regium, atque pacem populi commiſſi nobis pertinenti aſſenſum præbebimus; in hoc, ut illi non ſolum non ſint nobis contradicentes & reſiſtentes ad iſta exſequendo, verum etiam ſic ſint nobis fideles & obedientes, ac veri adjutores atque cooperatores vero conſilio ac ſincero auxilio ad iſta peragenda, quæ præmiſimus, ſicut per rectum unusquisque in ſuo ordine & ſtatu ſuo principi & ſeniori eſſe debet.* Dum Reges ſe communi conſilio ordinum aſſenſum præbituros pollicentur, ne illi ſint contradicentes & reſiſtentes, quid quæſo! aliud inde poteſt concludi, quam illos contradicere potuiſſe, ubi unanimiter vel pluribus diſplicebant, quæ Rex ſuſcepturus erat atque adeo hunc non abſoluta poteſtate gaviſum eſſe, nec fuiſſe Status meros conſiliarios, ſed ſimul cooperatores & veros adjutores, quorum adjumentum & conſenſus in graviſſimis negotiis eccleſiam & ſtatum regni concernentibus de neceſſitate erat (c). Hiſtoria

(c) B. HERTIUS notit. vet. Franc. regni cap. 4. §. 3. in not. ad argumentum ex hoc loco petitum reſpondet: quæ tacite inſunt, ſi expreſſe adjiciantur, nullum producere juris effectum. Verum quo-

ria; hæc inſigniter firmat, quæ non raro ad contradictionem rem perveniſſe docet. Profecto ea, quæ Ludovico Pio, Carolo Craſſo, Henrico IV. &c. &c. contigerunt, ejus manifeſta ſunt indicia, & libertatem ſpirant, nec a gente, arbitrario regimini adſueta, unquam fuiſſent ſuſcepta (*d*). Inprimis autem hiſtoria Henrici IV. meridiana luce clarius reſtrictam regum poteſtatem docet. Apponam inſignem LAMBERTI SCHAFNABVR-

quomodo dici poſſit, ineſſe Monarchiæ regulari, ut communi conſilio ordinum Rex aſſenſum præbere debeat, ne illi contradicant vel reſiſtant, ego nondum capio, qui hactenus credidi ineſſe potius imperio plane Monarchico, ut regimen & majeſtas ſit integra penes imperantem, ſubditis autem non niſi obſequii gloria relicta, qui proinde nunquam contradicere vel reſiſtere poſſunt, licet Rex illorum conſiliis obſequi nolit.

(*d*) Non mihi diſtinctio inter majeſtatem realem & perſonalem probatur, nec tanquam judicem de actionibus Principis populum cognoſcere poſſe exiſtimo. Quod ſi autem contra capitulationes & leges fundamentales agat, nec ſubditos teneri pactione, qua imperium in illum contulerunt, puto. Nam tali modo qui regem conſtituit, obſequium ipſi promiſiſſe intelligitur, non aliter, quam ſub ea conditione, ſi ejus imperium ad capitulationes & leges fundamentales congruit. In applicatione quidem difficile eſt ad liquidum perducere, quando illæ violatæ ſint; Non deſunt enim velamenta, quibus & injuſtiſſima facta tegi poſſunt, unde ut plurimum bello lis deciditur. Interim, quamquam non aſſeram ſemper legitime egiſſe Ordines Germaniæ, quando depoſuerunt Reges, ſufficit tamen luculentum eſſe indicium imperii limitati, quod toties illis ſe oppoſuerunt atque ita declararunt, ſe arbitrariam poteſtatem Regibus neutiquam concedere. Conf. Venerandus BVDDEVS jurisprud. nat. cap. 16. §. 13. STRVVIVS ſyntagm. jur. publ. diſſ. 13. §. 10. GROTIVS de Jur. B. & P. lib. 1. cap. 4. §. 9. Acutiſſimus LOCKIVS Philoſoph. ſummus tr. du Gouvernement. Civil. Tom. II. cap. 18. §. 11. BARBAYRAC ad Pufend. de Jure N. & G. lib. 7. c. 8. § 6. Zachar. HVBER ſpecim. Reſponſ. ad Scholia Chr. Thomaſii in lib. de Jure Civit. pag. 31.

Digitized by Google

NABVRGENSIS locum (*e*), qui egregie rem illuſtrabit. De lite inter Henricum & Saxones ita refert: *Poſtulabant hi*, (Saxones ſcil.) *ut caſtella, quæ ad oppreſſionem eorum per Saxoniam & Thuringiam exſtruxerat, ſine dilatione dirui juberet; ut ſua ſingulis patrimonia per vim aut calumniam erepta reſtitueret; ut Duci Ottoni ducatum Bojoariæ redderet, ut Epiſcopo Moguntino, Colonienſi, Duci Rudolphi & omnibus qui defecerant, impunitatem tribueret, ut libertatem genti ſuæ, & legitima a primis temporibus ſtatuto* (i. e. leges fundamentales) *rata atque inviolata ſineret &c. Metu adactus, bis conditionibus pacem inire decreverat, poſtea vero, pœnitentia ductus, ab ea recedere cogitans, petebat, ut ad conventum Principum regni communemque audientiam res integra differretur, quatenus eorum judicio de ſingulis, quod bonori, quod utilitati reipublicæ conduceret, ſtatueretur. Et cum omnes regni Principes convenirent, de abſentia principum cauſabatur, ad quorum judicium ea res potiſſimum ſpectaret &c. Sed cum Saxones jam armata multitudine atrium palatii repleſſe & ad vim faciendam paratos inconditis motibus perſtrepere cerneret, tandem, ancipiti periculo permotus, conſenſit, ut Duci Ottoni ducatum Bajoariæ repoſcenti intra anni ſpatium, juxta principum jurisdictionem, ſatisfaceret.* Vides ad libertatem provocare Saxones, & poſtulare, ut legitima a primis temporibus ſtatuta, (i. e. leges fundamentales) rata atque inviolata maneant. Vides agnoſcere Regem, quod non pro arbitrio de iis, quæ ad ſalutem imperii pertinent, ſtatuere poteſt, ſed demum in conventu Principum, ad

 quo-

(e) Apud PISTORIVM pag. 203. 205.

quorum judicium rem pertinere ait. Vides denique jus decidendi, Otto num jure, an injuria Bavariæ ducatu privatus ſit, penes principes fuiſſe, quorum controverſias nunquam ſolius regis judicio permiſſas, ſed ſemper earum dijudicandarum poteſtatem fuiſſe ſimul penes ordines, probavit CONRING (*f*) (*g*). Qui extinctis Carolingis plane aliam imperii formam Germaniam induiſſe ſibi & aliis perſuadere omni ſtudio laborant, ridebunt quidem ab iis temporibus ad Carolingica argumentum (*h*), ſed ridebuntur viciſſim, donec mu-

(f) diſſ. de judiciis reipubl. German. §. 44. ſeqq. Conf. Electa juris publ. a THUCELIO edit. Tom. I.

(g) Putat Doct. PFEFFINGERUS comm. ad Vitriarium pag. 88. argumentum auctoritatis ordinum præbere REGINONEM ad ann. 894. quando refert: Arnulpho, Zundibolch filium ſuum regno Lotharii præficere volenti, optimates prædicti regni aſſenſum præbere non voluiſſe. Aſt mihi hæc limitatum fuiſſe imperium & vota ſtatuum deciſiva minime probare videntur, quamquam enim princeps liberrima poteſtate ſit præditus, non tamen ipſi licet alii imperium cedere, vel ſibi ſucceſſorem deſignare pro lubitu. GROTIUS de Jure B. & P. lib. 1. cap. 4. §. 10. PUFENDORF de Jure N. & G. lib. 8. c. 5. §. 9.

(h) MONZAMBANO ſ. PUFENDORFIUS in tr. de ſtatu Imperii Germanici aſſerit, poſt exſtinctos Carolingos, provinciarum Duces plenam nactos ſuperioritatem territorialem, ducatus tantum in Feudum obtuliſſe Conrado I. atque illum ea conditione Germaniæ Regem elegiſſe, ut tanquam inæqualiter fœderati abſoluta gauderent poteſtate. Multos ſectatores hæc ſententia invenit, imprimis Halæ Saxonum Ill. THOMASIUS & Clar. LUDWIG illam quovis modo propugnarunt, quanquam minime probaretur rerum Germanicarum callentiſſimis KULPISIO, SCHILTERO, HERTIO &c. Poſtquam vero Celeb. GUNDLINGIUS in egregiis ſcriptis de Conrado I. & Henrico Aucupe, eruto ex antiquitate illorum temporum ſtatu, alias denſiſſimis tenebris operto, ad oculum monſtravit meras fabulas venditari, nec talem mutationem formulæ imperii ullo modo probari poſſe, cui potius

mutationem illam, quam ſub Conrado I. contigiſſe aſſerunt, coævi autem ſcriptores ad unum omnes ſilent, melius, quam hactenus factum eſt, probaverint. Quamquam enim non negem, fundamenta ſuperioritatis territorialis eſſe poſita, quando illi magni Duces Ducatus ſuos ad heredes transmittere coeperunt (*i*), eo ipſo nondum tamen credo formam imperii fuiſſe mutatam, ita ut ex ſubditis & officialibus uno impetu facti ſint Principes, propria poteſtate majeſtati analoga ſuas provincias regentes, ſed ad iſtud faſtigium ſenſim & per ſpiramenta temporum, inprimis per leges fundamentales recentiores pervenerunt. Iis, quæ hactenus fuſe attulimus, non convenientius Hincmarus conciliari poſſe videtur, quam ſi dicamus illum non tam definire voluiſſe, quæ circa poteſtatem legislatoriam ſit auctoritas regis & ordinum, ſed referre tantum ordinem conſultationum, & in animo habuiſſe morem Francorum, quo olim in comitiis regulariter

 non

potius res geſtæ & annales veteres aperte contradicant, multi aliter ſentire ceperunt, & præprimis Ill. THOMASIVS diſſ. de libri vet. de beneficiis, uſu, §. 19. 20. jam meliora edoctus, a priſtina ſententia receſſit, ingenue faſſus Gundlingium plus quam Mathematice rem demonſtraſſe. Equidem Dn. LVDWIG in diſſ. de Conrado I. & Henrico Aucupe rem perditam reſtituere omnibus viribus niſus eſt, ſed quantum præſtiterit judicandum relinquo iis, qui nullo præjudicio faſcinati, illas diſſertationes cum Gundlingianis ſcriptis conferent. Interim, ſi jam ſupponamus etiam ſub Carolingis imperium limitatum & proceres maximæ auctoritatis fuiſſe, adhuc minus habent, quod mirentur illi Feudorum oblatorum aſſertores, quando Conrado I. non auguſtiores terminos poſitos, ſed ſub eadem formula regimen delatum dicimus, qua Carolingi illud tenuerunt.

(*i*) Vid. Dn. GVNDLING in Gundlingianis Schediaſm. 3. diſſ. 1.

Digitized by Google

non numerabantur vota (*l*), ſed, ſi in unum haut conſpirabant proceres diverſæ ſententiæ proponebantur regi, ut ex illis unam eligeret, quam ob autoritatem, qua pollebat, ſæpius omnes ſequebantur; quod ſi vero omnes, vel maxima pars contradiceret, Rex nihil ſuſcipere & concludere poterat. Hanc mentem fuiſſe Remenſis Episcopi, non ſolum antecedentia & conſequentia docent, ſed etiam inde ſatis liquet, quod epiſtolam ſuam maximam partem deſumſit ex Adalhardo Abbate Corbejenſi propinquo Caroli M. qui autem non de autoritate Regis, ſed *de ordine Palatii* ſcripſit. Ceterum, qui Hincmarus narrat cum pace Confluentana optime conveniunt. Sicuti enim ille refert, optimates deliberaſſe, donec res ſingulæ ad effectum eſſent perductæ, i. e. donec ſe determinaſſent, & tum demum ſuas ſententias propoſuiſſe Regi, ita & hunc procedendi modum indigitat pax Confluentana, quæ, dum dicit, communi conſilio ordinum Regem aſſenſum præbiturum, itidem ſupponit, primo conſilium cepiſſe Proceres, & tum demum ſolicitos fuiſſe de conſenſu Regis. Supereſt adhuc, ut diſpiciamus, quæ reponi poſſint Dn. STRUVIO, qui capitularia non conſenſu ſed conſultu condita dici notavit. Verum a ſcribis hujus ævi verborum rationes tam ſcrupuloſe exigendæ non ſunt, & valde dubium mihi videtur, ita accurate diſcernere potuiſſe vocabula latina barbaros homines, qui leges conceperunt,

(l) Non ſine ratione Dn. LUDWIG paradox. juris publici §. 17. conjecturavit, olim in comitiis vota ordinum non fuiſſe numerata, ſed æſtimata pro ſaniori aut potentiori parte, quapropter principibus potentiſſimis non plura competierunt vota, quam parvis dynaſtis.

runt, ut ideo voce *conſultu* uſi ſint, ne quis exiſtimet, fuiſſe ſtatutum vota deciſiva. Quod ſi enim id ſupponamus, ſequeretur inde in illis capitularibus, ubi conſenſus mentio fit, quod ſæpius occurrit, & aliquando fieri non negat ipſe Struvius, eandem diligentiam fuiſſe adhibitam, atque adeo ad quasdam leges condendas concurriſſe ſubditos, non ad omnes. Quid? quod apud Latinos conſultum non tantum denotat conſilium & ſuaſionem, ſed etiam decretum, & conſulere idem quod decernere, uti obſervat JCtus præſtantiſſimus Gerard. Noodt (*m*). Et in medio ævo voce conſilii etiam votum deciſivum denotari clarum eſt ex Reginone ad annum 888. ubi: *Galliarum populi in unum congregati, cum conſenſu Arnolphi, Oddonem Ducem filium Ruperti, virum ſtrenuum, cui præ ceteris formæ pulchritudo & proceritas corporis & virium ſapientiaque magnitudo inerat, Regem ſuper ſe pari conſilio & voluntate creant; quia rempublicam viriliter rexit.* Nemo non videt, in electione Regis populum non ſolummodo in conſilium fuiſſe adhibitum, ſed deciſionem penes illum ſtetiſſe, ut itaque omni dubio procul eorum votum fuerit deciſivum, interim non conſenſu ſed *conſilio* dicitur creatus Rex. Ita Polidorus Vergilius (*n*): *Ante hac tempora* (Henrici I.) *Reges non conſueverant populi conventus conſultandi cauſa, niſi perraro facere. Addo ut ab Henrico id inſtitutum manaſſe, jure dici poſſit. Quod tam altis defixum, uti etiam nunc, radicibus ſemper ſtetit, ut deinceps, quicquid ad remp. bene gerendam ejusque conſer-*

(m) Obſerv. lib. 1. Cap. 18. Comment. ad ff. tit. de LL. SCtis & longa conſuetud.

(n) Angl. Hiſt. lib. 11. p. 188.

ſervationem deliberandum foret, illud ad concilium deferretur: &, ſi quid aut Regis aut populi juſſu decretum factumque eſſet, id totum pro nihilo haberetur: niſi ejusmodi concilii autoritate foret comprobatum. Et porro: *Modus autem conſultandi eſt ejusmodi &c. &c.* Viden' conventum Ordinum Angliæ dici conſultandi gratia fieri? & tamen procul dubio, uti ipſe Vergilius docet, horum vota ſunt deciſiva. Denique a promulgatione legis ad ejus conſtitutionem argumentari nos non poſſe hodierna praxis docet, cum ipſas LL. Imperii Germ. quæ per modum conventionis inter imperatorem & Status conduntur, a ſolo Imperatore promulgari videamus, velut ac ſi ex mero ejus arbitrio vim ſuam acciperent (*o*). Vnde, licet ita conceptæ eſſent antiquæ leges, quaſi a ſola Imperatoris voluntate emanaverint, non tamen inde evinceretur, Statuum conſenſum non debuiſſe accedere, priusquam illæ populum obligarent.

§. 6. Quam hactenus Francis aſſeruimus libertatem, eadem quoque Saxones gaviſos eſſe autumamus. Quanquam enim hi a Carolo M. ſunt ſubjugati, & ob frequentes rebelliones ſæpius dure habiti, ita, ut magnum eorum numerum ex patria abductum in Provincias Francicas tranſtulerit (*a*); poſtea tamen cum animadverteret ferocem populum non poſſe vi domari, ſed illum facilius in officio contineri, ſi lenitate

(o) Vid. Clar. STRVVIVS Syntagm. Juris publ. Rom. Germ. Diſſ. XXIII. §. 29.

(a) Vid. Annales FVLDENSES ad ann. 794. POTGIESSER de con-d[illegible]am ſervorum apud Germanos lib. 1. cap. 2. §. 33. Auguſtini d[illegible] Canu[illegible] ſive Doctiſſ. GVNDLINGII Bedencken von dem Hertzogthum Francken nov. Biblioth. part. 19. pag. 754. not. h.

tate regeretur, & devinceretur beneficiis, iisdem illos juribus & privilegiis donavit, quibus fruebantur Franci. Ita enim EGINHARDVS: *victi penitus, abjecto dæmonum cultu, & relictis patriis Ceremoniis, Chriſtianæ fidei ac religionis iuramenta ſuſceperunt, & Francis adunati unus cum ipſis populus facti ſunt.* Idem canit poeta Anonymus apud Leibnizium:

Hoc ſunt poſtremo ſociati foedere Franci,
Vt Gens & populus fieret concorditer unus,
Ac ſemper regi parens æqualiter uni.

Hæc ſatis indicant non alia ratione Saxonibus fuiſſe imperatum, quam reliquis Francici imperii civibus. Inde & jam videmus illos in comitiis comparuiſſe. In capitul. II. enim quod FVRSTENBERGIVS edidit expreſſe dicuntur *ſimul congregati Saxones de diverſis pagis, tam de Weſt-Falabis & Angrariis, quam de Oſtfalabis.* Et in illo capitulari Cap. 2 *item placuit Saxonibus,* & cap. 9. *conſenſu Francorum & fidelium Saxonum* (*b*).

§. 7. Superfluum foret pluribus monſtrare, quæ auctoritas Statuum fuerit poſt tempora Henrici IV. cum in confeſſo ſit, illam ſub ſingulis fere imperatoribus augmentum ſumſiſſe, ita, ut hodie Imperatoris majeſtas tam ſit reſtricta, e contrario autem jura ſtatuum tam ampla, ut PVFENDORFIVS *in tr. de ſtatu imperii*

Non ſolum optimatibus, ſed etiam populo, quo comprehendebatur infima nobilitas, ſua fuit autoritas.

(b) Vid. Doctiſſ. MEIBOMII introductio ad hiſtoriam inferioris Saxoniæ pag. 22. 24. Imprimis autem Dn. MEINDERS in vindiciis libertatis antiquæ Saxonicæ ſive Weſtphalicæ contra Rhetium & Coccejum, quorum ille omnibus Saxonibus, hic autem Weſtphalis, libertatem a Carolo M. ademtam eſſe aſſeruit, diſputat non contemnendis rationibus.

imperii Germanici Germaniam monſtrum reipublicæ dixerit. Magis ad rem erit notare, non ſolummodo Optimates, & proceres (i. e. ſuperiorem nobilitatem) eſſe in conſilium & ad ſummam rerum aſſumtos, ſed etiam populum, &, quæ illo continebatur, infimam nobilitatem alicujus auctoritatis fuiſſe. In expedito enim eſt, fuiſſe, tam Carolingorum, quam inſequentibus temporibus, comitia vel univerſalia, vel particularia. Hæc, quæ ſenatus Francorum dicebantur, ſaltem Epiſcopis, Ducibus, Abbatibus & Comitibus conſtabant. In illis autem comparebant non tantum proceres, ſed totus populus, ſive, qui illum repræſentabant, infima nobilitas & Magiſtratus urbium (*a*). Hi autem non tantum conſultationibus totum imperium concernentibus intererant, ſed etiam in iis, quæ ſingulas provincias in ſpecie tangebant, cujusque ordinum conſenſus deſiderabatur, cujus illuſtre argumentum præbet ipſa conſtitutio Ducum, quæ fieri debebat conſenſu principum regionis. Ita enim ECCARDVS: *Sueviæ Principum aſſenſu ſtatuitur Allemannis Dux primus Burcardus, Gentis illius nobiliſſimus, & virtutum dote probatiſſimus.* Et Henricum II. Henrico Comiti, Ducatum Bavariæ ambienti, ita reſpondiſſe, refert DITMARVS (*b*): *nonne ſcitis hæc in hac expeditione nequaquam fieri poſſe: Bavarios ab initio Ducem eligendi liberam*

Conſtitutio Ducum conſenſu ordinum cujusque provinciæ facta legitur.

(a) Cui in provincialibus cujusque territorii conventibus auf Landtagen locus fuit, illi etiam locus ſuffragiumque fuit in imperialibus auf Reichstagen Clariſſ. LVDWIG diſſ. de civitatum diſpari nexu cum S. R. Imperio cap. 4. § 4. vid. TACITVS de M. G. cap. 10. HINCMARVS epiſt. 14. §. 20. REGINO ad ann. 961. WIPPO in vita Conradi Salici.

(b) lib. 5. pag. 368. edit. Leibn.

Digitized by Google

ram habere poteſtatem, non decere tam ſubito eos abjicere ejusque conſtitutionis antiquæ jus absque conſenſu eorum frangere: ſi voluiſſet expectare, usque dum ipſe ad has regiones venirem, cum communi conſilio principum eorundem ac voluntate ſibi libenter in hoc ſatisfacere &c. (*c*). Egregium quoque hujus rei argumentum præbet Conſtitutio Rudolphi I. de 1287. renovata ann. 1291. quæ ita diſponit: **Was auch die Fürſten in ihren Lande, mit der Landherren Rathe Setzent und machen dieſen Landfrieden zur Beſſerung und zu Beſtenunge, das mogen ſie wohl thun, und damit brechen ſie des Landfriedens nit.** (*d*) Et licet jus comparendi in comitiis perdiderit infima nobilitas, cum reliquo populo (*e*), tamen in ſingulis provinciis ſartam tectam ſervavit hactenus auctoritatem, ita, ut in gravioribus negotiis, quæ toti provinciæ præjudicare poſſunt, fere ubique illorum conſenſus deſideretur (*f*); quod neu-

(c) Non ego quidem cum Dn. LUDWIG in paradoxis juris publici §. 12. & diſſ. de Conrado I. cap. 2. §. 3. lit. g. ſentio, fuiſſe electionem Ducis unice penes Ordines, & Imperatori nihil niſi confirmationem competiiſſe, quam ne quidem denegare potuerit. Hoc ſaltem mihi ſedet, non potuiſſe Reges obtrudere populo Ducem invito, interim tamen nec obſtrictos fuiſſe confirmare, aut creare, quem nolebant. vid. Celeberr. GUNDLINGIUS de feudis vexilli §. 40. in quem ſenſum etiam quæ de Bavaris attulimus accipienda ſunt. Promittit enim Imperator ſe poſt electionem populi candidato ſatisfacturum, quæ inanis fuiſſet oblatio, ſi illam non denegare potuiſſet. Quid? quod Bavarorum jus tanquam ſingulare ipſe Henricus II. allegat.

Non tenebatur Imperator invitus confirmare quem elegerant provinciales.

(d) Vid. LEHMANS Speiriſche Chronick lib. 5. cap. 8.

(e) Vid. Dn STRUVIUS Syntagm. Juriſpubl. diſſ 22 §. 11.

(f) Inde B. Ill. HUGO tr. de ſtatu regionum Germaniæ cap. 4. monſtravit, adhuc hodie magnam eſſe analogiam inter regimen imperii

In omnibus fere

tiquam mirandum, Principes enim imperii per ſuperioritatem territorialem nihil aliud adepti ſunt, quam id, quod imperatori olim competiit, cujus vice, tanquam officiales, antea provincias gubernabant; cum autem ille, uti monſtratum, non abſoluta poteſtate uſus eſt, nec Principes illam prætendere potuerunt, qui eo faciliores ad confirmanda, imo augenda jura & libertatem Statuum fuerunt, quo magis illorum intererat proceres provinciarum ſibi addictos habere, quibus repugnantibus non facile ad eam potentiam, qua hodie gaudent, fuiſſent evaſuri.

Non eadem auctoritate gaudent ſtatus in omnibus provinciis.

§. 8. Non eadem autem hodie eſt auctoritas ſtatuum in omnibus provinciis, ſed, pro formulis principatuum diverſis, illa quoque differt. Poſtquam enim recentiori ætate ex variis territoriis, quæ per frequentes diviſiones admodum modica erant reddita, iterum magni Ducatus ſurrexere, & Principes perpetuum militem alere ceperunt, in variis regionibus multum deceſſit auctoritati ſtatuum, quippe qui, ob metum potentiæ, non eo ardore, quo olim, pro conſervatione jurium

provinciis Germaniæ ſtatus provinciales inveniuntur.

& ſingularum provinciarum, quanquam non poteſt negari, multo reſtrictiorem eſſe poteſtatem imperatoris in imperio, quam ſtatuum in ſuis territoriis. Conf. B. Hertius, qui diſſ. de conſultationibus, legibus, & judiciis in ſpecialibus R. G. imperii rebuspublicis §. 3. ſeqq. teſtimoniis probavit in Bavaria, Saxonia, Brunſuicenſibus terris, Wurtenbergia, Pomerania, Haſſia, Electoratu Trevirenſi, & Colonienſi, Friſia Orientali, Holſatia, Marchia, Sileſia, ſuam ordinibus eſſe auctoritatem; Et idem eſt ſtatus fere omnium cæterarum Germaniæ provinciarum, niſi quod in Palatinatu nullos conventus Provinciales agi, nec ſtatus eſſe notet Sprenger in fontibus iurispublici cap. 9. Add. B. Samuel Strykius diſſ. de ſtatibus provincialibus cap. I. n. 15. ſeqq. Wildvogel. diſſ. de ſtatibus provincialibus §. 4.

Digitized by Google

jurium pugnare audent. Ita Hermannus CONRINGIUS in *hiſt. rerumpublicarum tit. de Bavaria* §. 8. bene obſervavit, fuiſſe ibi olim ſtatum mixtum, & ordinum provincialium magnam auctoritatem; Poſtquam autem familia Ducum ad majorem potentiam pervenerit, hodie illam provinciam parum abeſſe a monarchia. Hac igitur de cauſa parum frequentia ibi eſſe comitia, &, ſi quæ ſint, magis inſtitui, ut audiant, quid ſit decretum, quam quod conſtituant (*a*). In nonnullis tamen provinciis, ubi vel principes ſibi religioni duxerunt contra pacta conventa & reverſales datas agere, vel ob virium defectum ordines ſubjugare non valuerunt, adhuc hodie inſignibus juribus gaudent. Auſtriacorum procerum auctoritati nihil detrahere Auguſtiſſimum Imperatorem, ſed adhuc hodie ibi obtinere principatum mixtum, notat CONRING *cit. tr. tit. de Auſtria* §. 23. ita, ut non tota rei ſumma ſit penes unum, ſed ex parte penes proceres, ac de omnibus rebus ad rempublicam pertinentibus agatur conſentiente populo &c. Non minus æquum ac benignum ſe præbet potentiſſimus M. Britanniæ Rex erga ordines Germanicarum ſuarum ditionum. Tantum enim abeſt, ut potentia, qua pollet, utatur ad illos ſupprimendos, ut potius fateri neceſſe habeamus, ſacram Regiam majeſtatem magis eſſe ſollicitam de conſervandis illorum juribus, quam violandis, & ſumma veritate niti, quæ auctor tractatus Gallici *Ante-Jacobite, ou fauſſetés de l'avis aux proprietaires Anglois*;

 refu-

(a) B. HERTIUS diſſ. de conſultationibus, legibus & judiciis in ſpecialibus Romano Germanici imperii rebuspublicis §. 4. & de ſpecialibus R. G. imperii rebuspublicis §. 28.

refutées par des reflexions impartiales dicit: Regem in provinciis Germanicis non deſpotica poteſtate regnare, nec ſine conſenſu ordinum tributa imponere ſubditis, & eo videre, ut ſine ullo reſpectu diſtribuatur juſtitia, quando Cameræ vel fiſco ejus cum privatis lites intercedunt. Qui ſub Epiſcoporum vel Abbatum imperio vivunt, imprimis ſua jura tueri, & facilius ad imperii judicia provocare ſolent (*b*) Referunt FRITSCHIVS (*c*), & Ill. LYNCKERVS (*d*), civitates epiſcopatus Monaſterienſis, cum aliquando in conventu provinciali ſuffragiis Prælatorum & Equitum in vectigali vino & cereviſiæ imponendo victæ eſſent, mandatum cum clauſula adverſus Epiſcopum & reliquos ordines in Camera impetraſſe, quo & executio decreti in conventu provinciali facti ſuſpendebatur, donec judicio res determinata eſſet. Quæ haut ita pridem in epiſcopatu Hildeſienſi inter capitulum, tum temporis epiſcopi vice gubernacula tenens, & ſtatus provinciales lites obortæ, ac, interventu potentiſſimi magnæ Britanniæ Regis, ſopitæ ſunt, adhuc omnium animis hærent, & acta publica in vulgus emiſſa teſtantur. Meklenburgicos ordines magna conſtantia pro libertate pugnare itidem docent variæ, quæ inter eos & ſereniſſimum Ducem in judiciis imperii ventilantur, lites. Gaudent illi inſignibus juribus præ multis aliis Germaniæ provinciis, quorum origo a temporibus Henrici Leonis videtur repetenda; cum enim hic Obotritos, Slavicam gentem in Meklenburgicis terris habitantem, ſubjugaret, &

(b) Idem cit. l.
(c) de Conventibus Provincialibus cap. 7. §. 7.
(d) de gravamine extrajudiciali cap. 4. §. 4.

Digitized by Google

& Regem eorum Pribiſlaum eo redigeret, ut depoſita regia dignitate Ducis titulum aſſumeret, multas familias nobiles Saxonicas in terram devictam tranſtulit, quo eo facilius poſſit in officio contineri novus Dux. Patet hoc ex HELMOLDO (*e*), qui narrat *Henricum Leonem terram Obotritorum diviſiſſe militibus poſſidendam* (*f*). Et alio loco (*g*): *Slavorum regionem dante Deo totam redactam eſſe velut in unam Saxonum coloniam* (*h*). Inde eſt, quod maxima pars familiarum nobilium in Meklenburgia degentium ſint Saxonicæ originis, quod & eorum nomina ſatis arguunt. His procul dubio non tantum Henricus Leo præclara jura ſtipulatus eſt, & e contrario Ducis poteſtatem arctioribus coercuit finibus, ſed etiam ipſi Duces, ut faciles haberent nobiles, quorum conſenſu in multis negotiis indigebant, non tantum antiqua jura illis confirmarunt, ſed etiam novis ea auxerunt. In Friſia orientali pleraque imperii jura ordinibus ſunt reſervata, & cum Princeps, circa an. 1680. pacta conventa violare velle videbatur, Cæſar Electorem Brandenburgicum cum Monaſterienſi & Neoburgico, directores circuli Weſtphalici, protectores jurium ac libertatis ſtatuum con-

(e) Lib. I. cap. 88. n. 9. pag. 612. apud Leibnit. tom. 2. ſcript Brunſuicenſium.

(f) Vid. ICtus præſtantiſſimus Georg. Engelbrecht, quondam Academiæ Juliæ decus, jam potentiſſimo magnæ Britan. Regi in ſupremo provocationum Senatu a Conſiliis, diſſ. de ſingularibus Feudorum Meklenburgicorum ſect. II. § 2. 3. ubi erudite oſtenſum haut probare hunc locum, Feuda Meklenburgica non eſſe oblata, ſed data.

(g) lib. 2. cap. 14.

(h) Vid. Dn. GUNDLING. Abriß zu einer rechten Reichs-Hiſtorie period. 5. n. 211. 212.

conſtituit (*i*). Exemplorum loco hæc ſufficiant. Singulas percurrere provincias, & quousque in qualibet ſe extendat auctoritas ordinum, non ſolum periculoſus labor (*k*), apud plurimos odia conflaturus, ſed etiam noſtro inſtituto minus conveniens foret, quippe qui diſſertationis menſuram longe excederet.

Variat Objectum comitiorum Provincialium.

§. 9. Quemadmodum autem auctoritas ſtatuum Provincialium non ubique ſimilis eſt, ita etiam variat objectum comitiorum provincialium, cum in quibusdam provinciis plura negotia conſenſu ſtatuum indigeant, vel illorum conſilio ſint tractanda, quam in aliis. Intuendæ ergo cujuslibet reipublicæ leges fundamentales, pacta ſcil. & reverſales, item privilegia ſtatibus conceſſa, obſervantia, & forma regiminis (*a*). Plerumque, ſi ſubditi collectandi ſunt (*b*), id fieri debet conſenſu ordinum (*c*), qui etiam, quando circa ſummam ſolvendam conventum eſt, de modo collectandi deliberant, &, quo promtius neceſſitate obveniente principi

(i) PUFENDORFIUS rerum Brandenb. lib. 18. §. 31.

(k) Ea propter bene obſervavit Jacobus BRUNNEMANNUS in examine jurispublici lib. I. cap. 1. quæſt. 5. jus publicum ſpecialiſſimum Germaniæ inter anecdota referri debere.

(a) vid. Dn. WILDVOGEL diſſ. de ſtatibus provincialibus §. 46. ſeqq. Dn. LUDEWIG diſſ. de obligatione ſucceſſoris in principatus & Clientelas cap. 7. §. 6. 8.

(b) De tributorum origine & progreſſu in Germania vid. Dn. KRESSIUS diſſ. de privilegiis agriculturæ apud Germanos cap. 2. §. 12.

(c) Vid. B. Ill. SCHUTZ. ad jus publicum lib. 2. tit. 8. poſ. 7 pag. 481. ubi. ſtatus collectas vere non imperant, imo, ſi absque conſenſu ſubditorum collectas exigere audeant, contra eos mandata cum & ſine clauſula decerni ſolent. conf. FRITSCHIUS de conventibus provincialibus cap. 7. §. 5. Politica curioſa (cujus autor dicitur TOLLIUS quondam Rector Gottingenſis) pag. 432. 449.

Digitized by Google

principi ſuccurrere poſſint, in plurimis provinciis ærarium provinciale, **die Landſchaffts-Caſſe, oder der Schatz** inſtitutum eſt, cujus directio eſt penes ſtatus. Interim ſibi ſatis caverunt Principes *in capitulatione Joſephina art.* 3. ne hiſce juribus ordines abutantur, dum Imperatorem obligarunt illis auxilium denegare, ſi ea, quæ ad militem ſuſtentandum, & fortalitia conſervanda neceſſaria ſunt, conferre detrectent vel diſpoſitionem circa ærarium provinciale, excluſo Domino territorii, privative ſibi vindicent (*d*). Præterea ſæpius leges conduntur in conventibus provincialibus **mit Rath und Gutachten der Landſtände,** quod, an voluntatis tantum, an neceſſitatis etiam ſit, itidem antiqua cujusque regionis obſervantia, & pacta conventa inter Dominum & ordines edocere debent (*e*). Corpus doctrinæ in Ducatu Luneburgico non tantum conſenſu ſtatuum eſt conditum, ſed etiam expreſſe conventum, ne Principi liceret in religionis negotio aliquid mutare. Cum potentiſſimus M. Britanniæ Rex de jure primogenituræ, inter familias nobiles, & eas, quæ nobilia prædia poſſident, introducendo conſilia agitaret, prius cum ordinibus provinciarum Germanicarum inſtitutum communicavit, & illorum mentem

(d) Imperatori curæ eſſe, ne ſubditi a Dominis territoriorum nimium exhauriantur, lites in judiciis imperialibus pendentes docere notat KULPIS ad Monz. cap. 5. §. 6. Quanquam cum TITIO ad h. l. fatendum ſit, quoad ſtatus potentes illam curam eſſe fere inanem, adeoque ut plurimum omitti.

(e) Vid. SCHWEDER introduction. in jus publicum part ſpec. ſect. 2. cap. 13 §. 3. B. III. SCHUTZ. cit. l. Teutſcher Reichs-Staat tom. I. part. 3. cap. 5. §. 3.

tem ſciſcitatus eſt, ac, quæ ipſis difficultates rem urgere videbantur, placide & clementer audivit. Quanta ſit auctoritas Saxonum in hoc paſſu pateſcit ex iis, quæ habet Dn. KRESSIUS (*f*). In Ducatu Luneburgico & Comitatu Hoyenſi per receſſus provinciales de 1673. & 1697. conceſſiones & privilegia ab onere collectandi neminem liberare poſſunt, ſi non ſunt conſenſu ſtatuum corroborata. Hic etiam requiritur, ſi ditiones alienantur (*g*), nec non conſultum eſt illum adhibere, quo exſpectativa in Feuda &c. ſucceſſorem eo fortius obliget (*h*). Quando quid circa ſucceſſionem in principatibus eſt determinandum, majoris firmitatis gratia ſtatuum conſenſus adhibetur, quod a sereniſſimis Ducibus Brunſuicenſibus ſæpius factum. Notavit doctiſſ. Chriſtianus Vlricus BLUM, Aſſeſſor Dicaſterii Provincialis Hannoverani (*i*) an. 1373. Fridericum, Bernhardum, Henricum & Ottonem fratres, Magni Torquati filios ab una, & ordinem equeſtrem, reliquosque ſtatus provinciales ab altera parte, transactionem & conventionem iniiſſe, de gubernatione & poſſeſſione ducatus in ſolum primogenitum transferenda. Item ſolenni transactione & ſtatuto in comitiis provincialibus de 16. Novemb. 1535. inter Duces Henricum & Wilhelmum fratres, nec non ordines

(*f*) Diſſ. de privilegiis agriculturæ apud Germanos cap. 2. §. 12. add. Dn. Auguſtinus LEISERUS diſſ. de aſſentationibus JCtorum §. 25.

(*g*) B. TITIUS ſpecimin. juris publici lib. 4. cap. 5. §. 16. B. BEYER diſſ. de obligatione ſucceſſoris Illuſtris §. 43. 44.

(*h*) B. BEYER cit. l. §. 42.

(*i*) In diſſ. pereruditа de Ducibus Brunſvic. præſide Pregitzero Tubingæ habita cap. 5. §. 9.

dines provinciales conventam, & in Ducatu Brunſv. Luneburgico Lineæ Guelphicæ introductam, & ſtabilitam fuiſſe primogenituram, ita, ut tam Duces, quam ordines ſolenne inſtrumentum ſubſcriptione, juramento, & ſigillis muniverint, hocque modo omnes conſenſum declararint, quæ transactio integra legitur in *actis Brunſvicenſibus part. I. S. 2. cap. 2. n. 37.* & apud Hortlederum von Urſachen des teutſchen Krieges *lib.* 4. Inter inſignia privilegia ordinum Ducatus Clivenſis eſt, quod non niſi duo fortalitia, ſine ſpeciali conſenſu ordinum, in provincia Dux habere poſſit, quæ hodie ſunt Weſel, & Lipſtadt (*k*). Imprimis autem id ad officium ordinum pertinet, ut ſi ſubditi ab officialibus vel aliis præter æquum graventur, illud ad Principem deferant, & quo innocentibus ſubveniatur, quantum in ipſis eſt, curent. Merito enim incomparabilis Grotius (*l*) ordines vocat majus Principis conſilium, per quod querelæ populi, quæ ſæpe in conſiſtorio reticentur, ad principes aures perveniant.

Impugnat jura ordinum Autor diſcurſus and. Ständen.

§. 10. Antequam colophonem imponam tractationi de juribus ſtatuum provincialium, non poſſum non, quin mentionem faciam ſcripti alicujus ſive diſcurſus de ſtatibus provincialibus von Land-Ständen, qui an. 1709. lingua vernacula, apud famoſum illum Petrum Marteau Coloniæ in lucem eſt emiſſus. Valde ſudat auctor Anonymus, ut probet Principes abſoluta plane poteſtate gaudere, & ſtatus provinciales meros eſſe conſiliarios, quibus cum graviora negotia

(k) Vid. Politica curioſa membr. 1. §. 12.

(l) de jure belli & pacis lib. 1. cap. 3. §. 10.

Digitized by Google

communicentur, non ut conſenſu ſuo illa firment & decidant, ſed tantum ut deliberent, & deciſionem ab imperante expectent. Illos, qui aliter ſentiant, monſtri quid alere putat, & talia aſſerere, quæ cum principiis Chriſtianismi, ſanæ rationis, ac genuinæ politicæ conciliari nullo modo poſſint. Prodierunt adverſus illum duo ſcripta, quorum non niſi unum mihi inſpicere licuit, cui titulus: **Eines Teutſchen unverfängliche Gedancken vom Land-Ständen**, quod ipſi diſcurſui eſt adjectum. Verum illius auctor majori integritate animi, quam politices & juris publici ſcientia polluiſſe videtur. Valde enim abſonum eſt, quando aſſerit, non rationem, ſed ſacram ſcripturam eſſe principium regulativum quæſtionum politicarum, omnemque poteſtatem abſolutam voluntati divinæ refragari, petito argumento a Theocratia Judæorum, libertate Theologica per redemtionem Chriſti Salvatoris recuperata, & ſtatu primorum Chriſtianorum, qui non ſub Regibus, ſed ſub Epiſcopis & Presbyteris vixerint. Et tamen ſtatibus auxiliares manus neutiquam affert, ſed conſentit adverſario ſuo. Libertas enim, quam propugnat, ipſi eſt facultas faciendi & omittendi, quæ Deus vel præcipit vel vetat. Hanc autem nec antagoniſta ſubditis ſub abſoluto imperio viventibus denegat; de ea enim neutiquam quæſtio eſt, ſed id tantum quæritur, an quilibet Princeps in iis, quæ totius reipublicæ ſalutem concernunt, ex mero arbitrio ſtatuere poſſit, quæ velit, ita, ut ordines nullo modo contradicere, ſed cœco obſequio ejus decreta venerari debeant? Nec ſtatum controverſiæ recte percepit, aut ad minimum male egit cauſam ordinum, quando tum demum

Ejus refutationem ſuſcepit Autor Anonymus der unverfänglichen Gedancken über den Discurs von Land-Ständen.

mum eorum conſilia obligatoria, nec ſine prægnantibus rationibus contemnenda ait, ſi ſana ſint, & ſaluti publicæ proficua. Id enim ſemper in quæſtione eſt, an regulis prudentiæ magis conveniant, quæ princeps vult, an quæ ſtatus deſiderant; quod ſi deciſio in hac pugna eſt penes principem, nec diſſenſus ſtatuum ipſi impedimento eſſe poteſt, abſoluta procul dubio poteſtate gaudet, & tantum conſiliariorum officio funguntur ſtatus, quæ etiam mens eſt Anonymi illorum jura oppugnantis. At vero non deſunt quæ ex alio fundamento huic reponi poſſint. Mihi ſtatim initio in eo valde impegiſſe videtur, quod omnibus rebus publicis Germanicis eandem præfinit menſuram, cum tamen meridiana luce clarius ſit, in ſingulis fere regionibus aliquid differentiæ circa regimen inveniri. Allegavimus ſupra Auſtriam & Bavariam, &, ſi probatione opus eſſet, pluribus exemplis poſſet doceri, in nonnullis provinciis fere omnium jurium jacturam feciſſe ſtatus, ita, ut ſi conſilium adhibeantur, id magis dicis gratia fiat, quam quod conſenſus vel diſſenſus illorum ſit alicujus effectus; in aliis autem civitatibus poteſtatem Principis arctioribus limitibus eſſe circumſcriptam, illique neceſſitatem impoſitam, circa præcipua negotiorum conſenſum ſtatuum exquirere, qui ſæpius multis perſuaſionibus ſunt deliniendi, quo Principi conſentiant. Quando igitur contra auctorem illum, omnem auctoritatem ordinibus denegantem, diſputabimus, ſemper ponimus talem reipublicæ ſtatum, ut certi limites principi ſint ſtatuti, isque per pacta & reverſales ſe obligaverit, in gravioribus negotiis ipſum regimen concernentibus, v. g. ad tributa

Errat Autor diſcurſus, dum eandem menſuram præfinit omnibus rebus publicis Germanicis.

Digitized by Google

ta indicenda, bella ſuſcipienda, leges ferendas, & impetrare ſtatuum conſenſum, neutiquam vero negamus abſolutiori in quibusdam provinciis principes poteſtate uti, & tantum voto deliberativo gaudere ordines. Optime ita diſtinxit Grotius decus literati orbis (*a*), qui proinde non dextre eſt allegatus ab adverſario, cum minime illius ſententiam firmet. Non enim ait conventus ordinum in id tantum inſervire, ut ſint majus principis conſilium, cui, auditis illorum ſententiis, liberum ſit ſtatuere, quæ velit, ſed ſaltem nonnullis in locis eam illorum eſſe conditionem dicit, alibi autem, addit, etiam jus habent de actibus principum cognoſcendi, atque etiam leges præſcribendi, quibus princeps teneatur.

§. II. Porro ſupponit autor, quod probandum erat, quando inquit: *Formam regiminis principatuum Germanicorum eſſe mere monarchicam. Superioritatem territorialem enim quæcunque complecti regalia, & excludere omnem mixturam Ariſtocraticam. Nexum ratione Imperatoris & imperii ſaltem feudalem eſſe.* **Et** *Brocardicum illud: tantum princeps poteſt in territorio, quantum Imperator in imperio, nullo fundamento niti, jam dudum agnoviſſe eruditos; nec officere abſolutæ poteſtati principum, quod coram judiciis imperii conveniantur; eſſe enim hæc compromiſſoria, quæ cum forma ſyſtematica imperii optime conſiſtere poſſint.* Id enim eſt, quod quæritur, an forma ſpecialium rerumpublicarum Germaniæ ſit mere monarchica; fruſtra ergo objicitur, quod in

(a) de jure belli & pacis lib. I. cap. 3. §. 10.

Digitized by Google

in quæſtione eſt. Non negamus ſuperioritatem territorialem eſſe complexum omnium regalium, ſed in eo vertitur cardo noſtræ controverſiæ, an non in quibusdam regionibus illa jura majeſtatica & ſuperioritatis, vel quædam illorum, cum ordinibus communicentur, quod, quare fieri non poſſit in principatibus, quemadmodum fit in regnis, ego haud percipio. Independentia principum ratione Cæſaris ſtatibus præjudicare non poteſt; quanquam nimis largus videatur autor, quando nexum Principum Germaniæ non niſi feudalem eſſe exiſtimat. Illi ipſi, qui formam Imperii ſyſtematicam ſtabiliunt, & defendunt, non eousque procedunt, ſed fateri coguntur, ſubjectionis veſtigia in eo occurrere, quod ad ſumma imperii tribunalia appellationes dirigantur, & contra ſtatus imperii in iisdem, ob neglectum officium, proceſſus inſtituitur (*a*.) Verum licet largiamur, omni ſubjectionis vinculo ſolutos eſſe principes, & renunciaſſe Cæſarem quibuscunque juribus, quæ olim ipſi competebant, nil tamen ita detrahitur libertati & prærogativis ſtatuum. Non potuit enim, nec voluit Imperator plura cedere principibus, quam ipſe habuit. Probatum dedimus ſupra, imperium Germanicum ab omni ævo fuiſſe limitatum, & quidem non tantum proceres regni, ſed etiam populum multum valuiſſe, tam in iis, quæ totam compagem tangebant, quam in negotiis ſingularum provinciarum. Qui ergo potuit principibus conferre Cæſar abſolutam poteſtatem, qua ipſe deſtituebatur, & paciſci de juribus tertii? nec intentio illius id unquam fuit;

Superioritas territorialis non involvit abſolutam poteſtatem.

(a) Vid. B TITIUS diſſ. de habitu territoriorum Germanicorum §. 56. 57.

Digitized by Google

fuit; ſed potius ſubditis jura integra ſervare omni ſtudio laboravit, quod imprimis elucet ex inſtrumento pacis Weſtphalicæ, in quo toties pacta cum ordinibus provincialibus inita confirmantur. Ita §. 7. *ſalvis tamen ſemper ſtatuum, qui proteſtantes nuncupantur, inter ſe, & cum ſubditis ſuis conventis pactis, privilegiis, reverſalibus & diſpoſitionibus aliis, quibus de religione, ejusque exercitio, & inde dependentibus cujusque loci ſtatibus, & ſubditis hucusque proviſum eſt &c.* Item §. 5. n. 12. *verb. pacta autem* & n. 15. *verb. inter ceteros ſtatus imperii* & §. 10. *de cetero ordinibus dictarum ditionum* (*Suecis ceſſarum*) . . . . *competentem eorum libertatem, bona, jura, & privilegia legitime acquiſita, vel longo uſu obtenta, . . . circa Homagii renovationem, & præſtationem more ſolito confirmabunt.* Dum ita ſoliciti fuerunt paciſcentes de conſervanda ordinum Pomeranicorum & Bremenſium libertate, ac privilegiis, quis, quæſo! præſumere poteſt, eodem tempore illos privare voluiſſe ſtatus cæterarum provinciarum juribus per pacta acquiſitis. Ergo, quando v. g. jus collectandi ſubditos Principibus Imperii conceditur, ſalvis juribus ordinum provincialium id intelligendum eſt, ut ſcil. ubi tributa indici nequeunt ſine eorum conſenſu, ille primo impetretur, quod ſi enim absque ea conditione conceſſio juris collectandi facta cenſeatur, voluiſſent paciſcentes talia, quæ legibus naturalibus & Divinis repugnant, quod tanquam abſurdum nullo modo præſumi poteſt (*b*). Quemadmodum minus concinnum eſt, quo utitur, conſecutionis vinculum ab independentia & ſuperiotate

(b) PUFENDORF de jure nat. & gent. lib. 5. cap. 12. §. 21. Ill. THOMASIUS jurisprud. Div. lib. 2. cap. 12 §. 112.

tate territoriali deſumtum, ita quoque iterum falſo ſupponit, *votum, quo ſtatus gaudent, non niſi deliberativum eſſe, & merum conſilium, quod rogare princeps non teneatur, ſi illo non indigeat, quemadmodum nemo in conſilium adhibeat medicum, qui eo opus non habet, nec obſtringatur invitus remediis uti, quæ ipſi commendavit. Quod ſi dicamus vota ſtatuum non eſſe mere deliberativa, tunc eo ipſo dici illos participare de majeſtate, indeque monſtrum reipublicæ oriturum.* Probandum enim prius foret ſtatuum vota non niſi deliberativa eſſe, quod antequam præſtitutum, nec argumentum a ſimili cum medico ductum procedet. Nec officit rempublicam monſtroſam evadere, ſi cum ordinibus majeſtas, vel aliqua ejus particula communicatur. Licet enim eas tantum civitates regulares diceremus, in quibus penes unam perſonam Phyſicam, vel myſticam, ſumma poteſtas integra eſt. E contrario autem irregulares, imo monſtroſas, in quibus non ex proprio arbitrio imperans agere poteſt, ſed ſubditorum, vel certi collegii conſenſu quandoque opus habet, quo deficiente, impeditur exſequi, quæ intendit. Licet etiam concederemus ſub ejusmodi imperio difficilius poſſe obtineri finem reipublicæ, tamen paralogiſmus eſt, quem optime notavit Cæſarinus FURSTENERIUS (*c*), quod ea,

Licet monſtroſam dicamus rempublicam, quando plures de majeſtate participant, tamen toleranda.

(c) De ſupremam Principum Germaniæ cap. II. Conf. ULR. HUBER de jure Civitatis lib. 1. Sect. 8. c. 2. n. 22. 23. 24. Ingenue loquitur CASP. HEINR. HORNIUS Anteceſſor Wittebergenſis Jur. publ Rom Germ. cap. 61 §. 2. viderint quomodo Principibus & ſtatibus ipſis conſultum velint (qui ſub allegatione ſalutis publicæ Principem a pactis recedere poſſe credunt) ſi Cæſar fortaſſe potentia pollens ſub eadem allegatione, quia imperium unius in multis

ea, quæ incommoda trahere poſſunt, nullo modo ferenda ſint, id quod alienum eſt, a natura rerum humanarum. Procul dubio auctor noſter ex ſua hypotheſi etiam Germanicum imperium monſtroſam rempublicam judicat, interim non exiſtimabit, ſpero, illam imperii formam plane tolerari non poſſe, ſed concedet mihi plurimorum ſtatuum, imprimis eorum, qui non valde potentes ſunt, multum intereſſe, ut omnia in ſtatu præſenti maneant.

Per pacta abſoluto imperio aliquid detrahi poteſt eaque obligant ſucceſſores.

§. 12. Sed pergit noſter: *pacta cum ſtatibus inita ita eſſe interpretanda, ut cum Monarchico imperio conſiſtere poſſint, & tunc obligationem principis non ex neceſſitate & jure ſtatuum, ſed ex liberrima voluntate ejus, & pacto oriri, quo abſoluto imperio nihil detrahatur ſecundum* GROTIVM *lib.* 1. *cap.* 3. §. 16. Si pacta & reverſales adſunt, ſatis aperte imperantes certis legibus alligantes, v. g. ſi Rex vel Princeps promiſerit, ſe inconſultis ordinibus nova tributa non indicturum, ego rationem percipere non poſſum, quare hæc non uti jacent ſecundum regulas bonæ interpretationis ſint intelligenda, ut ſcil. irrita ſit indictio; quam ex arbitrio proprio Rex ſuſcepit. Nihil enim abſurdi aut inſueti hæc continent, nec video, quid vetet, quo minus abſoluta poteſtate pollens juri ſuo in nonnullis renunciare poſſit, quanquam id raro contingere exiſtimem, & ejusmodi mixtura plerumque cum ipſa civitate orta ſit. Quid vero velit autor, quando obligationem principis non ex neceſſitate juris ſtatuum, ſed ex liberrima voluntate

multis plurium præſtet, Capitulationis vinculum, vel obſervantiæ Imperialis velit ſolvere.

luntate & pacto, quod abſoluto imperio nihil detrahat, oriri dicit, non perfecte aſſequor. Exiſtimavi enim hactenus obligationem & jus eſſe correlata, atque adeo non dari obligationem principis, ſine jure ſtatuum. (*a*) Et quanquam liberrimæ voluntatis fuit, an princeps talia pacta cum ſtatibus inire, & in has leges regimen ſuſcipere voluerit, ceſſat tamen illa voluntas libera, poſtquam pactum initum eſt, quæ enim ab initio voluntatis, ea ex poſtfacto ſunt neceſſitatis. Perverſe allegatur GROTIUS, qui *l. cit.* non negat per pacta aliquid detrahi abſoluto imperio, de quo nos diſputamus, ſed ſummo. Potius inquit: *fatendum tamen id ubi ſit*, (ubi ſcil. imperaturus ſubditis talia, quæ ad imperii rationes pertinent, promittit) *arctius quodammodo reddi imperium* (*b*). Pergit firmandis ſententiæ ſuæ argumentis Anonymus: *non eſſe in rerum natura talia pacta, quibus principis abſoluta poteſtas reſtringatur. Quæ antiquis temporibus nonnulli conceſſerint, ea ſucceſſoribus vinculum injicere non poſſe. Tempora eſſe mutata, & ſoli principi competere jus judicandi, quæ ex uſu reipublicæ ſint.* Pactorum vel reverſalium, quibus principis imperium limitatur, exiſtentiam ſerio in dubium vocari mihi perſuadere non poſſum, quando cogito, ab omni tempore ſæpius in judiciis imperii inter principes & provinciarum ſtatus lites ventilatas, ac

 ad

(a) Vid. Celeberr. GUNDLINO in via ad veritatem jurisprud. nat. cap. I ſ. 56.

(b) Vid. PUFENDORF. de Jure N. & gentium lib. 7. cap. 6. ſ. 10. ac de ſtatu imp. Germ. cap. 5. ſ. 4. B. TITIUS ad h. l. Venerandus BUDDEUS jurisprud. natural. cap. 16. ſ. 13. Dn. GUNDLINO cit. l. cap. 36. ſ. 37. ULRIC. HUBERUS de jure Civitatis l. 1. ſect. 9. cap. 5. no. 23. ſeqq.

ad pacta & privilegia eſſe provocatum; ut & quod eorum confirmationem fere ubique, quando novus princeps gubernacula ſuſcipit, deſiderent, & obtineant. Ipſe Antagoniſta, quando defendit non poſſe illæ, quæ ab anteceſſoribus cum ſubditis ſint initæ pactiones, obligare ſucceſſorem, utique affirmat, tales conceſſiones & pacta adeſſe. Quo fundamento ultimum ejus aſſertum nitatur, quando pactis cum populo initis ac legibus fundamentalibus, quæ conditionem delati imperii conſtituunt, vim denegat, non expreſſit, nec ideo ubi falſum hujus theſeos lateat monſtrare poſſumus (c). Solent majoris cautionis gratia confirmationem jurium a principe expetere ſubditi, priusquam homagium præſtant, quo facto eo minus dubii res habet. Nec mutatio temporis quicquam operatur. Bene Grotius (d): *Solet & hoc diſputari, an promiſſa in ſe habeant tacitam conditionem, ſi res maneant quo ſunt loco. Quod negandum eſt, niſi apertiſſime pateat ſtatum rerum in unica illa ratione incluſum eſſe, quam diximus* (ſcil. §. 23.). Qui quæſo! autem dici poteſt, abſolutiorem Cæſaris poteſtatem fuiſſe unicam rationem pactorum, quæ inter Principes & ſtatus provinciales inita ſunt. Hiſce refutatis, per ſe cadit, quæ ex inde nectitur conſecutio, quod penes principem jus ſit definien-

Mutatio ſtatus haud privat ordines juribus, qua ſibi ſtipulati ſunt.

(c) B. Georgius Beyer diſſ. de obligatione ſucceſſoris Illuſtr. §. 39. Acta Livonica a Patrulio edita. Ill. Thomasius de injuſta oppoſitione jurium majeſtaticorum ſuperioritatis territorialis & reſervatorum imperatoriorum, ubi acerrimus vindex majeſtatis non denegat vim conventionibus, quæ inter principes & ſubditos ſuper regalibus ineuntur, quarum exiſtentiam quoque admittit diſſ. de Regalibus fiſci Principum Germaniæ cap. 1. §. 7. lit. dd.

(d) De Jure Belli & Pacis lib. 2. cap. 16. §. 55.

Digitized by Google

finiendi, quæ ſint ex uſu reipublicæ. Verum illud eſt, quando nulli termini ejus poteſtati poſiti ſunt, neutiquam vero ubi illa legibus fundamentalibus & pactis conventis eſt reſtricta.

§. 13. Ejusdem ponderis eſt objectio: *quod ſtatus, tam ſinguli, quam collective ſumti ſint ſubditi principis, quibus nihil niſi obſequii gloria relicta, & in conſortium majeſtatis nullo modo admitti poſſint.* Iterum falſa eſt hypotheſis. Quatenus participes fiunt ſtatus jurium quorundam majeſtaticorum, v. g. legum ferendarum, colectandi &c. eatenus non ſunt ſubditi, ſed coimperantes (*a*), & quod ſubditis nil niſi obſequii gloria ſit relicta, ſub abſoluto imperio locum habet, non ſub limitato & mixto, ubi non tenentur obedire, ſi princeps talia præcipit, quæ ſecundum leges fundamentales ab ejus nuda diſpoſitione non dependent. Vix reſponſione dignum eſt ex S. Scriptura & præcepto Chriſti de obedientia erga imperantes petitum argumentum, quod enim abſolutam poteſtatem principi tribuant regulæ Chriſtianismi, quis, quæſo! unquam, vel ſomniavit, quam qui poteſtatem principum immediate a Deo eſſe ſibi perſuaſerunt, quod dogma tamen a ſanioribus politicis jam dudum eſt exploſum. Obedientia debetur imperanti, ſi ea præcipit, quæ præcipiendi jus habet, neutiquam vero ſi plus poteſtatis ſibi arrogat, quam in ipſum eſt collatum, quo multo magis præcepta ſummi Numinis de pactis ſervandis graviter violat. Sed videbimus novum antagoniſtæ ratioci-

Ordines, quatenus de majeſtate participant, non ſunt ſubditi.

Præcepto Chriſto de obedientia erga Principes non ſtabilitur abſoluta poteſtas.

(c) Ill. Cocceius diſſ. de clauſula rebus ſic ſtantibus cap. 2.

(a) Vid. Excell Vitriarius inſtit. jur. Publ. lib. 1. tit. 19. §. 3. Casp. Heinr. Hornius Jur. Publ. Rom. Germ. cap. 61. §. 5.

Digitized by Google

nium: *totam regionem*, putat, *cum omnibus ruſticis ad principem pertinere. Qui abuſive appellantur ordinum ſubditi, re vera ſubditos non eſſe, ſed colonos tantum ratione quorundam præſtandorum nobilibus devinctos; abſurde igitur aſſeri nil poſſe principem agere ſine conſenſu ſtatuum, & ita principes Germaniæ abſolutos cum Duce Venetorum eodem loco haberi. Quæ tam ad publica onera, quam Cameræ principis pendantur tributa a ſubditis ejus exigi, nec ordinibus vel teruncium acceptum eſſe ferendum, imprimis cum ſervitia militaria pro ſtatu bellico hodierno in natura præſtare nequeant.* Totam regionem ſub imperio principum eſſe non negamus, inde autem non ſequitur ex bonis ordinum nulla ſolvi tributa. Vbi enim ruſtici in ſervitute degunt, illi nihil vel parum proprii habent, ſed ipſi cum agris & pecoribus ex quibus ſe ſuſtentant, ad Dominos pertinent, quod ſi ergo collectæ exiguntur a ruſticis, utique ex bonis nobilium vel dominorum illæ ſunt pendendæ. Et licet in regione aliqua non amplius obtineat ſervitus, poſſident tamen coloni maximam partem nobilium bona, quos ideo Guthsherren appellant, quia penes illos dominium, vel maxima ejus pars remanet; igitur ſimiliter ex bonis ordinum vectigalia ſumuntur. Quanquam vero hæc omnia ſeponamus, ſi tamen per leges fundamentales & pacta cum ſtatibus inita princeps ſe obligavit ſine eorum conſenſu neminem ſubditorum ſuorum collectandi, hac conventione utique vivere obſtringitur. Quam abſona ſit comparatio Venetorum Ducis cum Principe Germaniæ legibus fundamentalibus quodammodo ligato facile agnoſcent, qui utriusque

Tributa, quæ a ruſticis Nobilium exiguntur, maximam partem ex horum bonis ſolvantur.

que

que conditionem cognitam habent (*b*). Denique nullius eſt momenti, quod urget: *in multis regionibus Germaniæ nullos eſſe ſtatus, & tamen non periclitari ſalutem publicam; Imo multis ſumtibus parci, qui alibi inutiliter profundantur.* Nobis enim non eſt quæſtio de eo quod utile, ſed quod juſtum eſt. Forma imperii Germanici multis laborat incommodis, quis ea propter illam mutandam, & vel Cæſarem vel ſtatus juribus quæſitis privandos dixerit? Quanquam, ſi res accurate inſpiciatur, apparebit forte, felicius vitam agi, multaque averti mala in iis regionibus, ubi ordinibus ſua eſt auctoritas, quam in quibus deſpotico imperio imperat Princeps.

Caput II.

De Jurisdictione patrimoniali.

§. I.

Quando homines in civilia corpora coeuntes ſibi Principes conſtituerunt, procul dubio primaria horum officii pars fuit, ut civium deſideria ſine affectu, ex omnium uſu & audirent, & componerent, & commune naturæ jus, aut leges civiles, quas utilitatis ratio populo præſcribere juſſerat, æqualitatis conſervatione exſequerentur (*a*), quæ poteſtas judiciaria ſ. jurisdictio vocatur. Quoniam autem ſummi imperantes omnibus

Jurisdictio ſua natura jus Majeſtaticum eſt.

(b) Vid. Amelot de la Houſſaje du Gouvernement de Veniſe B. Schurtzfleiſchius diſſ. de Venet. regimine.

(a) Vid. Gerardus Noodt JCtus ſummus orat. de jure ſummi imperii oper. pag. 772.

bus rebus ipſi ſufficere non poſſunt, ſed varias perſonas in partes vocare coguntur, inde etiam cura juſtitiæ ſæpius aliis fuit demandanda, qui proinde *tum quoad totum ſuum eſſe & operari a majeſtate dependent* (*b*); unde prono nexu fluit, ſi ullum jus regalibus eſt accenſendum, profecto jurisdictionem eo referri debere (*c*). In Germania noſtra illam ab omni ævo fuiſſe penes Reges, Principes, atque ordines (quibus cum, uti cap. præced. monſtratum, majeſtas communicabatur) & qui a rege conſtituti erant Duces, Comites & Miſſos, adeoque itidem ſummam poteſtatem ejus fontem fuiſſe, in aprico eſt, & a CONRINGIO (*d*) ſatis evictum, cujus dicta ſi repeterem, actum ageretur. Interim ſingulare eſt, & primo intuitu naturæ jurisdictionis non admodum congruens, quod illam ſæpius (*e*) fundis nobilium

(b) Sunt verba ZIEGLERI tr. de juribus majeſtaticis lib. 1. cap. 29. §. 3.

(c) Non exiſtimo JCtum præter ſcientiam juris civilis accurata quoque ſolidioris politices cognitione inſtructum hoc unquam in dubium vocaſſe, & non ſpernandam vim chartæ conſumere poſſem, ſi neceſſarium eſſet, hanc theſin ipſis auctoribus adductis firmare. Equidem provocant communiter ad ZIEGLERUM, qui cit. tr. lib. 2. cap. 17. §. 31. adſtipulatur Bocero aſſerenti jurisdictionem cum regali jure nihil habere commune, ſed toto genere ab hoc differre. Verum ex iis, quæ lib 1. cap. 3 §. 18. habet, meridiana luce clarius apparet, illum neutiquam negare, quod jurisdictio ad regalia pertinet, ſed tantum id velle, in vaſallo, vel ei cui eſt conceſſa, non retinere naturam juris regalis territorio illimiti, ſed tanquam commodum loci conceſſi illi accedere, illæſ. ſuperioritate, adeoque nobilem non ipſa particula ſummæ poteſtatis, ſed tantum ejus exercitio per modum privilegii gaudere.

(d) de judiciis reipublicæ germanicæ.

(e) Dn. Joh. Gottl. HEINECCIUS diſſ. de origine ac indole jurisdictionis patrimonialis §. 17 in plurimis regnis & provinciis Europæis præſertim iis, in quas Coloniæ Germanorum pervenerunt, juris-

nobilium inhærere, & cum iis ſimul ad quoscunque ſucceſſores, ſiſte univerſales ſint, ſive ſingulares tranſire videamus, unde & patrimonialis audit.

§. 2. Natales ejus non ita in expedito ſunt, ſed circa illas in diverſa abeunt Doctores. HERM. CONRINGIUS (*a*), HERTIUS (*b*), Dn. AUG. LEISERUS (*c*), & forte alii recentiori tempore, & quidem Sec. XIII. illam ortam, ac plerumque expreſſa conceſſione Cæſarum, Epiſcoporum, Ducum, Abbatum, Comitum &c. nobilibus acquiſitam putant. Econtrario autem Ill. THOMASIUS (*d*) ab antiquiſſimis temporibus

Juriſdictionis Patrimonialis origo dubia eſt.

A nonnullis ex antiqua poteſtate dominorum in ſervos derivatur

juriſdictionem patrimonialem vigere dicit, ſola forſan Anglia excepta, quæ teſte Tempelio, in obſerv. circa ſtatum fœderati Belgii cap. 2. p. 216. juriſdictionem hæreditariam ignoret. Verum, ſi SMITHIO fides habenda, etiam apud Anglos ejus veſtigia occurrunt. Is enim tr. de rep. Anglorum lib. 1. cap. 20. pag. 214. inquit: etiam prædiorum Domini pro arbitratu ſuo id ſibi habent indultum privilegium, ut apud illos, in foro ſuo judiciario, quod curia Baronis dicitur, hujusmodi controverſiæ quædam explicentur, ibi, qui Dominum illum agrorum ſuorum recognoſcunt, ſuper facti veritate inquirunt: quæ inquiſitio homagium appellatur. Hi nomina ipſorum, qui ab exitu noviſſimæ curiæ mortem obierunt, quique jure emphyteutico obligati ſunt, deferunt, hæredesque, qui loco parentum ſuccedere debent, in Curiam producunt: ſi qui agri alieni limites interceperint, aut intercluſerint, hic denunciantur. Habent quoque nonnulla ſuis legibus ſancita, quorum violatio animadverſione pecuniaria, in Domini uſum applicanda, coercetur.

(a) Diſſ. de judiciis reipublicæ Germanicæ §. 85.

(b) Diſſ. de conſultationibus, legibus & judiciis in ſpecial. R. G. J. Rebusp.

(c) Meditat. ad ff. ſpec. 28. §. 4.

(d) Diſſ. de hominibus propriis §. 86. It. in annotat. ad Huberi prælect. ad ff. pag. 64. ad Huberum de jure civitatis & diſſertat. de uſu pract. diſtinctionis hominum in liberos & ſervos cap. 2. §. 68. 65.

Digitized by Google

poribus ejus origines repetit, illamque ad reliquias antiquæ poteſtatis Dominorum in ſervos refert. Multis hæc ſententia arriſit (*e*), imprimis Dn. JOH. GOTTLOB HEINECCIUS *pecul. diſſert. de origine ac indole jurisdictionis patrimon.* adhuc nuper dilucide illam propoſuit, & refutato Conringio atque Hertio, ſtabilire niſus eſt. Supponit, cum reliquis, ruſticos fuiſſe olim ſervilis conditionis, id quod appareat ex Tacito, qui cap. 25. de Germanis ait: *ſervis non in noſtrum morem deſcriptis per familiam miniſterii utuntur. Suam quisque ſedem, ſuos penates regit. Frumenti modum Dominus aut*

Hujus ſententia potiora fundamenta recenſentur.

(e) BODINUS diſſ. de jure circa violentiam corpori alterius inferendam §. 19. Dn. Sigismund. Ehrenfr. ab OPPELN diſſ. de jurisd. patrim. §. 5. 6. Joh. Paul. KRESS. de privileg. agricult. apud Germ. cap. 2. §. 13. Franc. Erneſt. VOGT comm. in LL. Juticas de homicidio §. 49. lit. ff. & Herm. Adolph. MEINDERS de jurisdict. Colonaria. qui in eo autem non ſibi recte conſtare videtur, quando cit. diſſ. pag. 34. 46. aſſerit, illam ortum debere juri civili Rom. & a Francis, Saxonibus &c. Romanas provincias occupantibus, horum imitatione introductam eſſe. Ipſe enim fatetur jam Taciti ævo eam in Germania viguiſſe, quo tempore rarius in Provincias Rom. veniebant Germani & ob continua fere bella acerrimo odio & contemtu illos proſequebantur, unde præſumi nequit, Germanos Romana inſtituta & mores imitatos fuiſſe, id quod plerumque admirationem ſupponit. Equidem pag. 35. hanc objectionem videtur eliſurus, ubi Taciti temporibus longe meliorem & laxiorem atque tolerabiliorem ſervorum & Colonorum in Germania ſtatum & conditionem fuiſſe putat. Verum nobis ſufficit, quod pag. 36. ipſe ex Tacito eliciat, habuiſſe jam Germanos Veteres jus vitæ & necis in ſervos idque ex propria auctoritate exercuiſſe. Nec exiſtimo meliorem fuiſſe ſortem ſervorum antiquiſſimis illis temporibus, quam in medio ævo & adhuc hodie. Tum enim & procul dubio ſeparatas inhabitarunt caſas, coluerunt agros ſibi aſſignatos, & ex illis certam penſionem cum operis præſtiterunt Domino; quæ adhuc hodie hominum propriorum eſt conditio, & in medio ævo fuit.

Digitized by Google

aut pecoris, aut veſtis, ut colono injungit, & ſervus hactenus paret. Cætera domus officia uxor ac liberi exſequuntur. Quæ hic de ſervis narrat, eorumque obligatione erga Dominos, illa exacte convenire cum hodierno noſtrorum ruſticorum ſtatu non ſine ratione aſſerit. Fere ejusdem ſortis fuiſſe libertos, itidem ex Tacito diſci, qui inquit: *Liberti non multum ſupra ſervos ſunt, raro aliquod momentum in domo, nunquam in civitate, exceptis iis gentibus, quæ regnantur: ibi enim & ſuper ingenuos & ſuper nobiles aſcendunt. Apud ceteros impares libertini libertatis argumentum ſunt.* Ex quo iterum concludit, potius umbram & ſimulacrum libertatis, quam libertatem ipſam illam manumiſſione conſecutos eſſe, & forſan hujus beneficium tantum in eo conſtitiſſe, quod non ita glebæ fuerint adſcripti, ut non liceret iis invitis Dominis locum mutare. Quanta autem jura Domino competierint in ſervos, pateſcere ex illis Taciti: *Verberare ſervum ac vinculis aut opere coercere rarum. Occidere ſolent, non diſciplina & ſeveritate, ſed impetu ac ira, ut inimicum, niſi quod impune eſt.* Dum enim refert rarius verberari, ac vinculis aut opere coerceri ſervos, ſane affirmat, quandoque id factum eſſe, adeoque licuiſſe Dominis; id ſaltem negat, tam immanes in Germania eos fuiſſe ac Romæ: partim quod ſervi ſedibus a penatibus ſuis diſtincti non adeo frequenter Dominos offenderent, partim quod magis frugi eſſent, quam Romana illa colluvies, quæ e Sardis, Syris aliisque nebulonibus confluxerat; ſimiliter, ſi impune fuit occidere ſervum impetu & ira, cur, quæſo! id prohibitum fuiſſet, præcedente cauſæ cognitione.

 Hanc

Hanc ruſticorum conditionem in medio ævo manſiſſe uno ore teſtari annales, pergit, cum ſervitus eo tempore potius incrementa ceperit, quam imminuta ſit. Chriſtianiſmo recepto, multos quidem ruſticos manumiſſos eſſe non negat, verum manumiſſionem illam haud tribuiſſe plena ingenuitatis jura, quod non tantum ex Tacito conſtet, ſed etiam ex deſcriptione ruſticorum Germanicorum, quam JOH. BOHEMVS *de moribus gentium lib. 3. cap.* 12. dedit, & quæ experientia ipſa comprobatur (*f*).

§. 3. Hæc ſunt potiora momenta, quibus innititur Heineccius, & qui eandem cum ipſo ſententiam fovent. Mihi egregie illa inde firmari videntur, quod in ipſis Legibus Germanorum Dominis injunctum reperimus, ut puniant ſervos, illosque pœnis per Leges in crimina ſtatutis afficiant. Hoc ſane manifeſto arguit, agnoviſſe Reges, Dominis competere jus ob maleficia & crimina publica in ſervos animadvertendi, unde multo minus privatarum controverſiarum deciſionem illis denegatam fuiſſe exiſtimo. In capitulis Longobardorum cap. 12. (*a*) ita diſponitur: *jubemus quoque, ut propter nullam diſtrictionem quam nos facere jubemus*

(f) Bene MEINDERS diſſ. de origine, natura & conditione hominum & bonorum emphyteuticorum pag. 93. autumat bona emphyteutica & cenſualia, nec non curmodica Erb-Zinß-Güter, Erb-Pachts-Güter, parum aut nihil a prædiis ruſticis hominum propriorum differre, & homines, vel colonos illos, qui talia prædia poſſident, ſervilis propemodum eſſe conditionis, quoad bona illa, non quoad perſonas conf. Joh. Burcard. VERPOORTEN de inveſtitura Allodiorum §. 44.

(a) Illuſtr. BALVZIVS in notis ad hunc locum obſervat, in codice quodam Regio in margine hujus legis ſcriptum eſſe: Hæc lex Salica eſt.

bemus pro quibuslibet cauſis ſervi non mittantur in diſtrictionem, ſed per miſſos noſtros vel Dominos eorum, aut illorum advocatos ipſi ſervi diſtringantur, & ipſi ſicut lex jubet rationem pro ſervis ſuis reddant, utrum culpabilis ſit an non. Ipſi vero Domini diſtinguant & inquirant ſervos ſicut ipſos amant. Accedit, quod maximus nobilium numerus per totam Germaniam jurisdictionem in ruſticos exerceat, vel exercuerit, licet nullum edere titulum poſſint, ſed tantum ad conſuetudinem provocent (*b*), quæ quandoque per receſſus provinciales confirmata, & in ſcripturam eſt redacta. In Pomerania regulariter quoscunque nobiles illa gaudere refert MEVIUS (*c*). De Luneburgico Ducatu teſtatur receſſus de 1392. qui ita habet: **des glicken ſchal men der Prelaten und Månner derer Geſinde Meyer edder egen Lůhde, noch eres einiges Guth hindern, edder beſetten um Schuld, men hebbe ſe erſt vor ohren Herren verklaget.** Et receſſus 1527. **Es ſollen die Guthsherren die Macht haben, die Ihre in denen Gerichten zu pfånden und zu ſtrafen, die Månner zu beſetzen und zu entſetzen nach Gelegenheit.** In Comitatu Dannebergico Georg. Wilhelmus Dux Brunſv. & Luneb. piæ ac glorioſæ memoriæ nobilibus generaliter hoc jus confirmavit in reſolutione de 1682. (*d*). In Weſtphalia, & ſpeciatim in Comitatu Ravensbergico, ab antiquiſſimis temporibus nobilibus competiiſſe jurisdictionem Colonariam ſ. in homines pro-

 prios,

(b) Vid. KOPPEN deciſ. 48. n. 24. B. Sam. STRYK diſſ. de jurisd. circumſepta cap. 2. n. 3. 4.

(c) Part. 1. deciſ. 45. n. 2. part. 8. deciſ. 96. n. 1.

(d) Vid. Zelliſche Gerichts-Ordnung pag. 515.

prios, & demum an. 1590. per conſtitutionem Ducis Juliacenſis Wilhelmi, iis eſſe ademtam, contradicentibus ordinibus provinciæ, a Friderico Wilhelmo Electore Brandenburgico autem quodammodo reſtitutam, docet Meinders (e). Et nullus dubito in omnibus fere provinciis Germaniæ ejus veſtigia occurrere, quo referenda pignoratio Luneburgicis, Bremenſibus & Hoyenſibus nobilibus competens, ut &, qua Luneburgenſes, ac nonnulli Hoyenſes gaudent, perceptio pœnarum pecuniariarum, quæ ob ſtrupra commiſſa ſolvuntur. Inprimis reliquias illius poteſtatis Dominorum in ſervos continere videtur delineatio illa jurisdictionis circumſeptæ (f), quam reſolutio de 1695. ſtatibus Luneburgicis impertita, exhibet. Sicuti enim antiqua Dominorum poteſtas non niſi cujusque ruſticos complectebatur, ita etiam jurisdictioni circumſeptæ tantum ſubſunt coloni & ruſtici nobilium, vel qui horum villas inhabitant, ut & famuli, neutiquam vero, qui in villis illorum delicta commiſerunt peregrini. Si hæc jura ſpeciali conceſſione adepti eſſent nobiles, profecto tabulæ extarent, quas olim ſancte aſſervatas eſſe tot, leviſſimarum rerum donationes & conceſſiones, adhuc hodie extantes, teſtantur; Inprimis cum in medio ævo uſitatiſſimum fuit Regibus atque Principibus, ſi quid in ſubditos eſſet transferendum, id jure feudi transferre, literæ inveſtiturarum autem, ob frequentem renovationem, facilius ab oblivione & interitu aſſeruntur.

§. 4. In-

(e) Diſſ. de jurisdict. Colon. pag. 42. 48.

(f) Non ſine cauſa Heineccius cit. diſſ. ſ. 20. aſſerere videtur, omnem jurisdictionem patrimonialem fuiſſe olim circumſeptam.

§. 4. Interim non inficias eo, nonnullis quoque dubiis rem urgeri, quanquam ejus ponderis haut videantur, ut plane ſuperari nequeant. Primum moveri poſſet, quod juxta Cæſarem *regionibus & pagis principes præfuerint, illeque inter ſuos dixerint jus, & minuerint controverſias.* Cui adſtipulatur Tacitus, dum refert: *Principes per pagos vicosque jus reddidiſſe.* Verum pagus hic non eſt multitudo caſarum ruſticarum ein Dorff, ſed, bene notante CONRINGIO (*a*), regio eine Gowe; nullum ergo dubium eſt, fuiſſe conſtitutos in illis judices, qui controverſias liberorum hominum dirimerent; ſed ita minime refelluntur ii, qui Dominis jus coercendi ſervos, & eorum lites definiendi adſcribunt. Nec pungit, quod Principes per vicos jus reddidiſſe dicantur. In vicis enim quoque ingenui habitabant. Et quanquam iterum obverti poſſet, ita Tacitum commiſiſſe tautologiam, a qua ſcriptor conciſus valde abhorreat, cogitandum tamen hoc loco illam eſſe admittendam, licet juriſdictionem in vicis tantum ad ruſticos reſtringamus, in pago enim utique erant ruſtici, & dum per pagos jus dicitur redditum, etiam controverſiæ ruſticorum dicerentur definitæ, ſi illæ regulariter ad judices ordinarios pertinuiſſent. Quid? quod nec negatur, quandoque, ſi Dominus, illi, quem læſerat ſervus, juſtitiam denegaret, ad judicia publica lites perveniſſe. Majoris momenti ſunt, quæ (II.) in capitularibus ſive legibus antiquis occurrunt difficultates. Illi enim ſatis aperte innuunt, coram judicibus ordinariis comparuiſſe ſervos, & ab illis punitos

Nonnulla dubia hanc hypotheſin urgentia removentur.

(a) Diſſ. de judiciis reipublicæ Germ. §. 10.

nitos eſſe. In decretione Childeberti regis Francorum de an. 595. cap. 10. (*b*) cautum legimus: *& quicunque ſervum criminoſum habuerat, & ei judex rogaverit eum præſentare, & noluerit, ſuum Widrigildum omnino componat.* Et *in capitulis Longobardorum cap.* 12. quod §. præcedenti allegavimus, Miſſi regii jubentur animadvertere in ſervos, Dominis autem ſecundum Leges defenſionem incumbere dicitur. Jam vero nullus ſimul judicis & advocati officio poteſt fungi. Item *in addit. IV. ad cap.* 46. (*c*): *ſi quis ſervum proprium ſine conſcientia judicis occiderit, excommunicatione, vel pœnitentia biennii reatum ſanguinis emendabit.* Apparet judices de criminibus ſervorum cognoviſſe, & punitos eſſe Dominos, ſi ſervos in judicio non ſiſterent; imo excommunicatione & pœnitentia eccleſiaſtica coercitos Dominos, qui propria auctoritate ſine conſcientia judicis ſervum occiderent. At vero quanquam facile ex his locis colligitur, habuiſſe ſervos Germanorum perſonam ſtandi in judicio (*d*), tantum tamen abeſt, ut jus puniendi ſervos Dominis denegent, ut potius non leve præſidium illis præſtare videantur, uti §. præcedenti notavimus. Etenim in allegata lege Longobardorum diſponitur, ut pœnis, quas leges in crimina ſtatuerant, etiam ſervi afficerentur (*e*), & quidem vel a Miſſis, *vel a Dominis, eorumque advocatis,* quippe qui de iis, quæ ſervi perpetrant, rationem reddere

(b) Edit. BALUZ. pag. 19.
(c) Edit. BALUZ. pag. 1213.
(d) Hoc enim nec Ill. THOMASIUS, nec, qui illius caſtra ſequuntur, negant, vid. ejus notæ ad ff. tit. de juriſdictione,
(e) Vid. Du FRESNE gloſſ. voce: diſtringere.

Digitized by Google

dere teneantur, & proinde monentur, ut, ſi ſervos ament, ipſi diligenter illos coerceant, & in facta eorum inquirant. Si Domini non fuiſſent judices in criminibus ſervorum, qui, quæſo! legum poenalium executio illis demandari potuiſſet? nonne hæc ſpectaſſet ad judices Regios? Et quamvis etiam miſſis Regiis coercitio ſervorum demandatur, atque Domino defenſio ſervi injungitur, id tamen, procul dubio vel (quoad primum) de ſervis regiis eſt intelligendum, vel ad eum caſum pertinet, ſi Dominus officio non ſatisfaciat, & ſervo poenas infligere detrectet, quemadmodum leges Longobardorum *lib. 1. tit. 25. §. 52.* ſervum in furto comprehenſum, ſi Dominus eum redimere nolit, ut ipſum ultimo ſupplicio afficiat, jubent, &, ſi id facere recuſet, illi, qui furem in flagranti deprehendit, vindicare ſcelus permittunt. Quod ſi vero & hic ſervum occidere detractet, tum demum Curti Regiæ demandant ab eo poenam ſumere. Verba ſunt: *Hoc nobis rectum comparuit eſſe de ſervis, qui in furto comprehenduntur, ut anteriori edicto continetur, aut redimat eos Dominus eorum ſolid. XL, ut ſi a modo cujuscunque ſervus comprehenſus fuerit, in eo tenore, ut mori debeat, redimat eum Dominus cum ſolid. XL. ſicut dictum eſt, & ſi minime eum redimere voluerit, ipſe Dominus occidat eum ille, qui eum comprehenderit, & ſi nec ille voluerit, tunc occidat eum Curtis noſtra.* Eodem modo in Lege noſtra Longobardorum ſaltem in ſubſidium fuiſſe Miſſis Regiis commiſſam coercitionem ſervorum, ſatis indicatur, dum Domini monentur, ut ipſi ſervos diſtringant, & in facta eorum inquirant, ne ſcil. ſi id recuſent, coram Miſſis Regiis de factis ſervorum rationem red-

dere, & loco judicis advocati partibus fungi teneantur. Hunc quoque caſum procul dubio ponit Decretio Childeberti allegata, aliæque leges, quibus Domino injungitur ſervum in judicio defendere. Quod autem in *additione IV. ad capitul. cap.* 49. excommunicationem & poenam Eccleſiaſticam minitantur Dominis, qui propria auctoritate ſervos interficiunt, ex eo non ſine cauſa Dn. HEINECCIUS *cit. diſſ.* §. 18. concludit, iis temporibus adhuc conſueviſſe Dominos impetu & ira occidere ſervos & tum demum autoritate Regia propter abuſum (*f*) juribus ipſorum aliquid detractum eſſe. Hoc etiam inde apparet, quod jam antea in variis Conciliis atque Synodis (ex quorum decretis hoc Capitulare ſumtum eſt) nimia dominorum ſeveritas coercetur. Quid vero neceſſe habuiſſet Clerus excommunicationem, & poenitentiam Eccleſiaſticam in auxilium vocare, ut circumſcriberet nimiam Dominorum poteſtatem, ſi legibus civilibus eadem jam ſatis circumſcripta fuiſſet. Non magis obierit (III.) objeciſſe, antiquas fabulas venditari, quæ dudum abierint in deſuetudinem; ſublatam enim eſſe ſervitutem, & ita quoque ejus effectus, unde & videamus non omnes

(*f*) Multum rationis habuerunt Legislatores ita ſtatuere: Cum enim tam amplam poteſtatem domino in ſervos conceſſerunt, non voluerunt illum abuti ea, ſed quoniam ſervilis improbitas & contumacia egebat diſciplina, nulli rectius hæc credi videbatur, quam domino, cujus intererat ſervum corrigi, & ſervari. Cæterum cum intelligeretur dominos ſuo abuti jure, ac poteſtatem non pietate ſed atrocitate æſtimare, optimo jure ſummi imperantes arctiores limites illis poſuerunt, adempto jure vitæ ac necis, quod ſicuti Romæ, ita in Germania prudenter factum eſt, vide ita egregie ratiocinantem Gerard NOODT orat. de jure ſummi imperii.

Digitized by Google

omnes nobiles atque dominos juriſdictionem exercere. Nam 1. experientia conſtat, & exemplis dedimus probatum, magnum nobilium numerum, & in nonnullis regionibus fere omnes, hoc jus conſervaſſe. 2. Oppido falli, qui omnem ſervitutem in Germania abrogatam clamitant, & ipſos homines proprios liberos dicunt, jam ſatis eſt evictum ab aliis; & quamvis in regione aliqua non amplius obtineat ſervitus, ſed ruſtici manumiſſi ſint, vel ad minimum pro talibus reputentur, non tamen ejus effectus ſublati credendi ſint; Notavimus enim ſupra per manumiſſionem fere nihil obtinuiſſe ruſticos, quam jus mutandi locum invito Domino. Ergo ubi illorum plurimam partem juriſdictioni dominorum ſubjectam invenimus, conjectura adeſt, inter alia jura inſignia & hoc dominum manumittentem ſibi reſervaſſe. Denique 3. quod nonnulli nobiles jurisdictione non gaudeant, inde haut ſequitur, nec olim ea omnes gaviſos eſſe. Quosdam Principes hoc jure privarunt, quod Ravensbergenſibus contigiſſe ex Meinderſio ſupra retulimus, alii manumittentes illi renunciarunt, alii per non uſum forſan ejus fecerunt jacturam, & denique nonnulla prædia noviori tempore, cum ſervitus ſublata cenſeretur nobilia ac libera reddita ſunt, cum ſtatutis provincialibus jam eſſet cautum, ut illi tantum juriſdictionem exercerent, qui eam hactenus exercuerint. Tandem (IV.) non ferit nos objectio, quæ inde formari poſſet, quod magnus nobilium numerus per inveſtituram juriſdictionem in ruſticos acquirat, & ita minime conſuetudini, ſed conceſſioni ſpeciali illam acceptam ferat. Etenim, ſicuti prædia nobilium maximam partem in

Digitized by Google

Germania fuerunt, antequam ibi feuda eſſent cognita, quanquam hodie innumera ſint feudalia, ita & de jurisdictione nobilium idem dicendum videtur, utpote quæ una cum prædiis ſæpius eſt in feudum oblata (*g*); quando vero poſſeſſores bonorum Allodialium ea inveſtiti reperiuntur, (quod tamen an reperiatur mihi non conſtat) tunc præſumendum, vel poteſtatis, qua pollebant, in ruſticos eos jacturam feciſſe, illamque per inveſtituram recuperaſſe, vel prædia eſſe noviora. De jurisdictione inferiore autem loquor, ſuperior enim, ſive criminalis, regulariter ſine ſpeciali conceſſione nobilibus non competit (*h*). Recenſitis ita fundamentis, quibus illi fulciuntur, qui jurisdictionem patrimonialem reliquias antiquæ poteſtatis dominorum in ſervos autumant, & ſimul additis, quæ nobis ad firmandam illam theſin apprime facere videbantur, tuum jam erit, benevole lector, defecato, & ab omni-

(*g*) Vid. ſupra ſect. 1. cap. 2. §. 1.

(*h*) Etenim jus vitæ ac necis, quo Taciti, & in ſequentibus temporibus gaudebant, poſtea in medio ævo, forte ob abuſum, plurimis in regionibus perdiderunt, & bannum ſanguinis non regaliter accepiſſe nobilem inferioris conditionis, ſed in criminalibus ejus ſubditos a præfectis Imperatorum ac Principum judicatos, atque adeo ſi jurisdictione in genere ſit inveſtitus, ſub ea contineri criminalem haud præſumendum eſſe notat Clariſſ. GUNDLING. diſſ. de Feudis vexilli §. 24 & novæ Biblioth. tom. 2. pag. 319. quanquam & hic generalis regula conſtitui poſſe non videatur, in Pomerania enim omnes nobiles alta ſive criminali jurisdictione gaudere teſtatur MEVIUS part. 1. deciſ. 45. n. 2. unde, cum præſumtiones deſumantur ab eo quod fit ut plurimum, pro nobili Pomerano jurisdictione generaliter inveſtito præſumendum putarem, quod etiam criminalis illi ſit conceſſa. Conf. Clariſſ. Georg. Engelbrecht diſſ. de jurisdict. alta & baſſa ſect. 2. memb. 2. §. 6. ut & ſect. 1. ubi origo hujus diſtinctionis erudite oſtenſa.

Digitized by Google

omnibus præjudiciis libero animo dijudicare, an veritati conſona ſit conjectura, nec ne; Non diffiteor haut ita extra omnem dubitationis aleam rem eſſe poſitam, ut nullis omnino dubiis ſit obnoxia; At vero cogitandum, in re vetuſtiſſima, denſis tenebris involuta, perperam deſiderari demonſtrationem Mathematicam, & ad pauculum cognitionem noſtram imprimis hiſtoricam & juriſpublici redactam iri, ſi omnes conjecturæ eliminandæ forent.

§. 5. Hactenus dicta apprime faciunt ad illuſtrandam quæſtionem in foro ſatis controverſam, an poſſeſſor jurisdictionis, ſi ſuper illa a principe ipſi lis intentetur, ad titulum edendum teneatur, an vero generalis illa pro poſſeſſore præſumtio, etiam hunc ab allegatione tituli liberet, & manutenendum jubeat? prius maxima pars Doctorum affirmat, eo quod jurisdictio ad regalia jura ſit referenda, quæ ſine conceſſione, vel, quæ ejus loco eſt, præſcriptione immemoriali poſſideri nequeant. Nec deſunt tamen, qui poſteriorem ſententiam amplectuntur, & jurisdictionem vel ad regalia pertinere negant, vel conſuetudine Germaniæ illam nobilibus adſcribunt. Mihi, ſi dicere licet, quæ ſentio, ita controverſia expedienda videtur. Jurisdictionem eſſe jus majeſtaticum ſive regale nulla idonea ratione negari poteſt, nec jam in dubium voco communem illam doctrinam, quod poſſeſſores regalium ad titulum edendum teneantur, & præſumtio ſpecialis pro principe, vincat generalem, quæ alias pro quolibet poſſeſſore militat. Putarem tamen, ſi ſuppoſita illa jurisdictionis patrimonialis origine, quam hactenus recenſuimus, concedatur omnes ingenuos ſive nobiles

Poſſeſſor jurisdictionis non tenetur ad titulum edendum.

les

Digitized by Google

les olim jus definiendi lites ſervorum, eosque delinquentes coercendi habuiſſe, nec id poſtquam ſub imperium Francorum &c. conceſſerunt illis ademtum, vel per manumiſſionem eſſe perditum, tunc ſpecialem tituli editionem a poſſeſſore jurisdictionis, ad minimum circumſeptæ, non poſſe deſiderari. Quanquam enim ſine conceſſione nemo exercitium regalis juris ſibi arrogare poſſit, non tamen exiſtimo requiri conceſſionem ſpecialem, ſed ſufficere generalem. Ita, ſi jus quoddam majeſtaticum certo ſubditorum ordini, v. g. nobilibus eſſet impertitum, abſurdum foret, ſingulos adſtringere ad editionem tituli ſpecialis, quo manifeſto deſtituuntur, ſed quilibet generali illo, quod nobiles ſit, cui ordini tale jus competat, ſe optime tueretur. Nec aſſequor, qua ratione motus Antonius de Ballis *tr. var. fol.* 424. *n.* 4. laudatus Strykio (*a*), regalia non aliter acquiri vel præſcribi, quam per titulum in privilegio ſive literis inveſtituræ expreſſum, autumet. Quemadmodum enim tacite, per derelictionem, univerſa imperia, & regalia in totum alienari poſſunt, ita nullum dubium eſt, ſufficere tacitam principis voluntatem, ut exercitium juris majeſtatici in ſubditum per modum privilegii transferatur. Jam vero generali, & ad minimum tacita conceſſione, qua Dominis ruſticorum ſuorum lites dirimere permiſſum, Germanos nobiles pollere, illa de origine jurisdictionis patrimonialis doctrina indicat, juxta quam, & in ſtatu populari, & ſub Francorum regibus, eam exercuerunt. Sub Regibus enim libera voluntate adſcitis qui-

(a) Diſſ. de neceſſitate edendi titulum poſſeſſionis cap. 3. n. 15.

quilibet jura ſua integra ſervare voluit, atque adeo jura quoque in ſervos & ruſticos, ut illibata manerent, vel expreſſe ſibi ſtipulati ſunt (*b*), vel ad minimum, cum Reges in quieto illorum exercitio ſubditos non turbarunt, tacita conceſſio inde elicitur; qua & Saxones ſe tueri poſſunt, quoniam a Carolo M. devicti, jus Francicæ civitatis obtinuerunt. Poſtquam fatiſcente auctoritate Cæſarum, Duces ceperunt ampliori poteſtate regere provincias, profecto tantum illorum interfuit, ut nobiles ſibi haberent addictos, ut nulla ratione poſſit præſumi, illos vel affectaſſe eripere iis jura ab incunabilis reip. Germanicæ ſervata. Quanquam negari non poſſit, multa eſſe attentata recentiori tempore, cum potentiam jam magis firmaſſent. Exiſtimem ergo principium illud, quo jurisdictio patrimonialis ad reliquias ſervitutis refertur, in ſinu habere concluſionem, quod prædii nobilis dominus, qui in poſſeſſione jurisdictionis circumſeptæ eſt conſtitutus, teneatur ad edendum titulum, cum conceſſio illa generalis, & ad minimum tacita, qua tam antiquiſſimis temporibus, quam in medio ævo, & recentiori ætate nobiles in ruſticos tam ſervos, quam libertos jurisdictionem exercuerunt, ſatis monſtrent, qua ratione illam acquiſiverint. Quapropter optime Mevius (*c*): *Ex moribus Germaniæ notum eſt, quod jurisdictiones hodie terris cohæreant, ideoque qui has acquirunt illis gaudeant, niſi aliud reperitur conſtitutum, vel exceptum.* Non

(b) Conſuetudinem enim inducere præſumtionem legis vel pacti expreſſi bene notat Ill. Thomasius diſſ. de jure conſuetudinis & obſervantiæ §. 49. 50. 76. 77.

(c) part. 8. deciſ. 196.

Non enim ſtrui poteſt regula, quæ in omnibus Germaniæ provinciis ſine ulla exceptione poſſit applicari (*d*), ſed, ubi vel plurimi hujusque juris jacturam fecerunt, vel, qui illo gaudent, id beneficio particulari Principis acceptum ferre debent, ibi præſumtio eſt, privatos eſſe nobiles antiquo jure; non vero ſtatim admittenda priſtini ſtatus mutatio, ubi quosdam jurisdictione deſtitui videmus, quod ſi enim nonnulli manumittendo, vel per non uſum illam perdiderunt, hoc reliquis jurium tenacioribus non poteſt eſſe præjudicio.

Notatur Heineccius.

§. 6. Subit mirari Dominum Heineccium, qui totus in eo eſt, ut principium, circa quod hucusque hæſimus, in tuto collocetur, non eandem nobiſcum ex illo elicere concluſionem. Etenim (*a*) poſſeſſorem jurisdictionis ad tituli editionem teneri putat. Ratio ejus eſt, jurisdictionem conniventibus principibus ex poteſtate in ruſticos dominica eſſe natam, atque adeo nullam pro nobilibus militare præſumtionem, quod iis conceſſa ſit. Diſtinguit enim (*b*) jurisdictionem a poteſtate dominica, quæ eſſet patrisfamilias, illamque jurisdictionis pallium induiſſe in medio ævo exiſtimat, cum Clerum prohiberet, ne impune in ſuos ruſticos animadverterent, quapropter coacti ſint cauſas eorum paulo accuratius cognoſcere, & demum ex prudentiorum

(d) Unde non univerſaliter procedere exiſtimo, quæ habet Dn. Kress, diſſ. de privileg. agricult. apud Germ. ſect. II. cap. 2. §. 13. caſtro nempe inveſtitum etiam jurisdictione, tanquam pertinenti, inveſtiri, adeoque expreſſionem jurisdictionis magis pertinere ad cautelas, quam ad neceſſitatem.

(a) cit. diſſ. §. 21.

(b) cit. diſſ §. 17. 18.

Digitized by Google

rum conſilio de iis ſtatuere. Ego jam non diſputabo, an poteſtas illa in ſervos jurisdictio olim dicta fuerit, & per modum judicii ſolennis tanto ſtrepitu ac ambagibus uti hodie ſit exercita, ſed id tantum urgebo, ipſum Heineccium aſſerere, Dominis ſive nobilibus liberrimam poteſtatem coercendi ruſticos, eorumque lites ſine figura ſtrepituque judicii dirimendi olim competiiſſe (c), & tantum in eo contigiſſe mutationem, quod plura ſolennia hodie adhibeantur, & accuratior cognitio ex prudentiorum conſilio inſtituatur (d). Qua ratione autem, quæſo! hæc, quæ mera accidentia ſunt, mutationem ipſius rei inferre poſſunt, & id operari, ut a nobili ſpecialis tituli editio exigatur, qua illum deſtitui ſcimus, vel is adſtringatur præſcriptione tueri jus quod ab antiquiſſimis Germaniæ temporibus illi competiiſſe conceditur. Nec exiſtimandum ita barbaros & rudes fuiſſe Germanos, ut ſine ulla cauſæ cognitione

 ſervos

(c) Suppono enim, perſuaſum habere Dn. Heineccium, poteſtatem dominorum non tantum conſtitiſſe in coercitione, quo ſuo fungerentur officio ſervi, aut in jure decidendi lites inter cujusque ſervos obortas, ſed etiam, ſi diverſis Dominis ſubjecti fuerint ſervi, forte a rei domino controverſiam eſſe definitam, uti ſedet Dno. ab OPPELN diſſ. de jurisd. patrim. §. 5. Hanc enim ſuam ſententiam eſſe clare indicat HEINECCIUS all. diſſ. §. 20. ubi inquit: Quemadmodum E. Jurisdictio univerſalis (die Straſſen-Gerichte) principum debentur indulgentia: ita circumſcepta genuinam antiqui moris retinuit faciem, ſimulque indicio eſt veteres Marchiones Brandenburgicos jurium ſuorum fuiſſe obſervantiſſimos. Fatetur E. nihil detractum eſſe juribus Principum, ſed ſaltem ſervaſſe nobiles jus, quod ab antiquiſſimis temporibus illis competiit.

(d) Optime Ill. THOMASIUS diſſ. de uſu pr. diſt. hominum in liberos & ſervos cap. 2. §. 69. Eaque (Jurisdictio patrimonialis) a poteſtate dominica in praxi parum differt, niſi quod non ex tempore determinet lites, ſed ex more judiciorum.

ſervos puniverint, ſed quando Tacitus illos impetu agere dicit, id tantum velle videtur, non ſolenniter, & multis ambagibus adhibitis procedi, ſed, ubi dominus iniquitatem ſervi cognoverit, confeſtim adminiſtrare juſtitiam, qui etiam in omnibus Germaniæ judiciis nunquam ſatis laudandus olim mos fuit. Non ergo conniventibus principibus jus definiendi lites ruſticorum, quod jurisdictio patrimonialis circumſepta, audit, ſibi aſſeruerunt, ſed in ſtatu populari & libera Republica acquiſitum, ſub Regibus & Principibus ſervarunt, unde regulariter generalis conceſſionis præſumtio pro nobili oritur.

Caput III.

De Jure Venandi.

§. I.

Venatio a plerisque ad Regalia male refertur.

QUemadmodum univerſæ juris diſciplinæ multum luminis affunditur ex inveſtigatione originum, utpote quæ intentionem & occaſionem legis monſtrant, qua cognita ejus ratio, & genuinus ſenſus facile inveniatur (*a*), ita imprimis illa perquam neceſſaria eſt in materia juris venandi. Non ſolum enim doctrinæ gratia, & in theoria, ſed etiam in foro maximum eſt intereſſe controverſiæ (*b*): An venatio pertineat ad rega-

(a) Vid. Ill. THOMASII diſſ. de uſu vario ſtudii antiquitatum imprimis in ſtudio juris Romani §. 17. 18. 19. 22. quam præmiſit SIGONII tr. de antiquo jure populi Romani Clar. Georg. ENOBLEBRECHT progr. de difficultate ſolidioris jurisprudentiæ. Celeberr. Anton. SCHULTING orat. de Jurisprudentia hiſtorica B. HAHNIUS orat. de uſu Chronologiæ ac hiſtoriæ in jure privato.

Intereſſe hujus controverſiæ.

(b) Vid. Doctiſſ. Dn. Henrici Chriſtiani STRYKII jam Conſiliarii Aulici Hannoverani intereſſe controverſiarum juris in foro cap. 5. §. 7. ubi

regalia, & proinde qui jure venandi gaudent privati, illud acceptum ferre debeant principi, an vero hoc ius in Germania ad pertinentia Fundi nobilis ſit referendum? Licet autem prius in omnibus fere compendiis & ſcriptis iuridicis maxima fiducia aſſeratur, & plerumque ad univerſalem conſuetudinem Germaniæ provocetur, a nonnullis autem ex ipſa civitatis conſtitutione hoc ius imperantibus tribuatur, e contrario poſterior ſententia admodum paucos invenerit propugnatores, vel quod, ob communem fere (c) Doctorum affirmantium conſenſum, rem ſatis expeditam & in tuto collocatam cenſerent, vel quod metuerent, nimis curioſa eius inquiſitione in iura Principis involare, quæ in dubium vocare apud multos pro oraculo habetur (*d*); tamen conſtitui mecum, pro captu tenui-

 tatis

7. ubi notat, quantum interſit ratione præſcriptionis, cum regalia non niſi poſſeſſione immemoriali acquirantur. Adde, quod poſſeſſor juris venandi teneatur ad edendum titulum, ſi illud regalibus accenſetur, cum alias generalis pro quolibet poſſeſſore præſumtio etiam hunc manutenendum jubeat, donec probatum ſit ipſi venationem non competere. Nec non in eo magna diverſitas ſubeſt, quod in conceſſione generali caſtri vel fundi, cum omnibus pertinentiis, venatio non veniat, ſi illa regale jus eſt, peculiarem conceſſionem deſiderans HARPRECHT ad inſt. tom. 2. tit. 1. n. 174. HEROLD obſ. foreſtalium I. apud FRITSCHIUM in corpore juris venatorio foreſtalis pag. 1107.

(c) Ita ut Dn. THOMASIUS diſſ. de regalibus fiſci principum Germaniæ exiſtimet nullum reperiri diſſentientem, qui tamen facile produci poſſet.

(d) Abſit, ut eos omnes aſſentationis inſimulemus, qui jura principum propugnant. Hæc enim antequam præſumi poteſt, cujusque reipublicæ ſtatus, & imperantium inclinationes ſunt conſiderandæ. Qui ſub Jacobo II. Angliæ Rege Regiam poteſtatem nimis extendiſſet, & cæcum obſequium injunxiſſet populo, procul dubio ſuſpi-

Non omnes adulationis inſimulandi, qui ia

tatis meæ iura fundorum nobilium tueri, &, quæ circa communem doctrinam venationem regalibus accenſentem mihi obnata ſunt dubia, in medium proferre. Quod neutiquam mihi vitio verſum iri ſpero, cum ea ſit ſeculi noſtri felicitas, ut non ſolum in ſcholis, tam Philoſophorum quam JCtorum (*e*) omni opera in id incumbatur, ut præiudicium auctoritatis ex animis hominum eliminetur, ſed etiam imperantes ipſi, per ſaluberrimas conſtitutiones, obviam eant peſtilentiſſimo errori (*f*), quo hactenus factum, ut in praxi

hae, & alii controverſiis jura Principum propugnant.

ſuſpicionem dediſſet adulationis, cum tamen ſub hodierno imperio hæc minus ſint idonea ad benevplentiam captandam. Quandoque in ſcillam incidunt, qui charybdim evitare volunt, & multi, dum ſubditorum jura defendunt, injurii ſunt in majeſtatem. Conf. THOMASIVS diſſ. de regalibus fiſci principum Germaniæ. Interim cum delicata res ſit ita preſſe media via incedere, ne in exceſſu, vel defectu peccetur, inde factum puto, ut in jura, quæ doctores Principi circa venationem attribuerunt, non ea ſolicitudine inquiſitum ſit, uti decuiſſet. Imprimis cum tamen plerumque majus periculum ſubeant, qui jura principum dubia reddunt, quam qui ſubditis ingrata docent.

(e) Qua ratione Philoſophi noſtri temporis Celeberrimi, Carteſius, Lockius, Thomaſius, Clericus, Buddeus, Gundlingius & alii hoc idolum oppugnarunt, ſuperfluum eſt hic repetere. Nobis ſufficiat allegare B. STRYKIUM JCtum pragmaticum & minime novaturientem qui in uſu moderno ff. ita loquitur: Communes errores ex communibus opinionibus oriri ſatis notum eſt; ubi enim doctores teſtantur de communi opinione rationum inquiſitionem plerumque omittunt, & inde, alterum altero ſequente, in errorum abyſſos delabuntur. Add. B. WERLHOFIUS vir eximiæ eruditionis diſſ. de uſu juris Romani aliorumque privatorum jurium in decidendis controverſiis liberarum gentium §. 28 ſeq.

(f) In Ordinatione ſummi provocationum judicii quod Potentiſſimus magnæ Britanniæ Rex Cellis conſtituit part. 2. tit. 12. §. 12. ita diſpoſitum: Wollen alſo das gedachtes unſer Ober-Appellations-Gerichte in judicando an die Opiniones Doctorum überall ſich nicht kehren

praxi maiori ſolicitudine auctoritates & conſenſus Doctorum ſint conquiſiti quam ſolidæ rationes; nec exiſtimo me periculoſam rem ſuſcipere, ſatis enim tutum reddit, quam ſupra deprædicavi Potentiſſimi M. Britanniæ Regis, & Miniſtrorum eius erga ſubditos æquitas, ab impiis regnantium conſiliis quam longiſſime remota. Vt vero eo diſtinctius procedatur, pro virili monſtrandum erit, 1. ex natura imperii civilis & conſtitutione civitatis venationem ad iura maieſtatica non poſſe referri, neque 2. in Germania facto populi imperantibus reſervatam eſſe; quo præſtito diſpiciemus 3. annon ipſe erroris fons & origo indagari poſſit.

Ex natura & fine imperii civilis venatio non competit ſoli majeſtati.

§. 2. Quæ ex natura imperii civilis ſummæ poteſtati competunt jura, non melius dignoſci poſſunt, quam mentis aciem convertendo ad finem, quem conditores rerumpublicarum in animo habuerunt. Fuit is procul dubio, ut regantur prudenter, & contra vim injuſtam defendantur (*a*). Convenerunt enim in civile corpus homines, ut conjunctis viribus poſſent ſecurius agere, & avertere quæ ab aliis iis imminerent mala, quod quoniam ob varias propenſiones, & ſibi contrarios ſenſus hominum, commode haud fieri poterat, ni arctiſſimæ ſocietatis vinculo ſub unius communis imperii ſpiritu vires & voluntates ad communem utilitatem ita conjungerentur, ut in una ſummæ

lehren ſoll, es habe denn ſolche Doctores, entweder klare leges und conſtitutiones, oder auch ſolche triftige rationes, die ſie mit klaren aus denen Rechten und Geſetzen genommenen argumentis behaupten können, vor ſich allegiret.

(a) Vid. Celeber. GVNLINGIVS in via ad veritatem part. 3. cap. 34. §. 8. 9.

poteſtatis civilis voluntate voluntates omnium continerentur, inde factum, ut imperium civile majeſtas ſtabiliretur (*b*). *Hæc autem perfecte intelligi non poteſt*, utor verbis Doct. WERLHOFII (*c*), *niſi jus habeat ad ea omnia, ſine quibus civilis beatitudo, atque publicæ rei ſcopus obtineri non poteſt.* Quæcunque ergo jura ad regendam rempublicam, eamque adverſus vim, tam externam, quam internam defendendam ſunt penitus neceſſaria, ea principi vel ſummæ poteſtati cenſentur impertita, cum enim conditores civitatum intenderint finem, non aliter præſumi poteſt, quam voluiſſe etiam media ad finem ducentia. Ex his fluit, pertinere procul dubio poteſtatem legislatoriam, & jurisdictionem ad regalia vel majeſtatica jura, quoniam non poteſt tenere gubernacula imperans, & ut ſuum cuique tribuatur efficere, ſi non ipſi jus eſt malitiam hominum legibus coercendi, iisque occaſionem peccandi præſcindendi, & quæ ſalutis publicæ gratia conſtituta ſunt dextre applicandi, vel curandi, ut ab aliis id fiat. Idem dicendum de jure belli & pacis, vectigalium &c. non enim poteſt defendere rempublicam Princeps, ſi non in ejus eſt arbitrio commodo tempore, vel diſtringere gladium, vel recondere in vaginam; & quanquam bellum ſuſcipere liceat, quis tamen ſucceſſus eſt ſperandus, quando pecunia deficit nervus rerum gerendarum, nec ut ſubditi conferant, illis imperari

(b) B. WERLHOF. diſſ. de poteſtate legislatoris civilis circa ea, quæ ſunt juris naturæ ſ. 2. HOBBESIUS de cive cap. 1. & 5. PUFENDORF de J. N. & G. lib. 7. cap. 1. ſ. 7.

(c) B. WERLHOF. diſſ. de alienatione & conceſſione jurium, quæ vulgo regalia vocantur. §. 13.

rari poteſt, unde etiam jus vectigalium majeſtati denegari nequit. Quod ſi cum his juribus venatio comparetur, in propatulo eſt, illam ne minimum quidem nexum cum regimine aut defenſione civitatis habere, ſed finem reipublicæ optime obtineri poſſe, quanquam cuilibet privatorum liceat vel in ſuo, vel in alieno venari: Poſſet quidem forte regeri, a nobis ipſis Principi aſſertum eſſe jus vectigalium, illud autem complecti venationis jus; cum enim perinde ſit, quem collectandi modum eligat imperans, ea propter & illi licere ſibi loco aliorum tributorum feras beſtias aſſerere, quæ ratio parandi ad ſervandam rempublicam neceſſarios ſumtus eo magis ſe commendet, quo facilius aliquis jure adhuc acquirendo, quam jam acquiſito privari poſſit. Verum reſpondeo cum B. WERLHOFIO (*d*), *quantumvis ſalva civitas eſſe nequeat, niſi jus ſit majeſtati ad parandas opes publicis uſibus neceſſarias, ex bonis tamen caducis, ex metallico canone, decimisve novalibus, ex venatione, & ſimilibus juribus capiendos, vel augendos eſſe fiſci reditus reipublicæ conſervandæ ratio præciſe non dictitat, ideoque nec majeſtatis natura requirit, cum & alii modi ſuppetant plurimi, quibus publico ærario principisque fiſco conſulatur.* Non igitur venatio referri poteſt inter illa jura majeſtatica, quæ citra factum, vel populi, vel principis (*e*) ſua natura tanquam proprietates naturales majeſtati inſunt.

§. 3. Quæ

(d) WERLHOF. cit. diſſ. §. 15.

(e) Non vero ſufficit factum principis, ut aliquid regalibus poſſit accenſeri, ſi haut ipſi jus eſt ex mero arbitrio definiendi, qui ſumtus ad rempublicam ſuſtinendam ſint neceſſarii, & unde ſumi debeant.

Neque adeſpota ex ipſa conſtitutione civitatis ejus ſunt.

§. 3. Quæ hactenus a nobis ſunt prolata, ita plana ſunt, & expedita, ut nec minimum contra ea dubium movere potuerint diſſentientes. Aliam viam igitur ingreſſi ſunt acutiora ingenia, imprimis noſtris temporibus, qui aliud fundamentum ſe reperiſſe exiſtimant, quo dominium ferarum ex ipſa civitatis conſtitutione principibus aſſererent. Magnus Grotius (*a*), dum adeſpota reipublicæ adſcripſit, primus calcavit viam, quam ſecuti ſunt poſtea multi alii; præſertim autem noſtra ætate Dn. Thomasius (*b*), & B. Titius (*c*), has Grotii theſes adoptarunt, illasque magis firmare, & ad feras beſtias extendere fuerunt ſolliciti, quo etiam factum, ut plures (*d*) in hanc ſententiam pertraherentur. Ratiocinium illorum eo redit; Perſuadent ſibi, cum homines nexu civili conjuncti certos tractus occupaverint, non illas tantum res ſtatum primævæ conceſſionis diuinæ (qua nullius erant, & a quolibet poterant acceptari) mutaſſe, quæ a ſingulis actu tenebantur, ſed potius totum illum tractum,

(a) de jure belli & pacis lib. 2. cap. 3. §. 19 & cap. 8. §. 9.

(b) Vid. not. ad Hubervm de jure civitat. lib. 2. cap. 2. n. 19. pag. 450. diſſ. de regalibus fiſci principum Germaniæ cap. 2. §. 2.

(c) Vid. ſpec. jurispubl. lib. 3. cap. 7. §. 16. 17. 18. obſ. ad Pufendorfium de officio hom. & civ. obſ. 272. n. 2. diſſ. de jure metallorum §. 10. n. 12.

(d) Vid. Homborgius diſſ. de jure convenandi diſcurſ. prælim. §. 8. 9. 10. Schneider diſſ. de jure prævent. circa venat. §. 5. 6. 7. 10. Jerem. Steier diſſ. de jure princip. circa adeſpota ſub præſidio Schopferi habita, qui quidem hoc jus ad effectus dominii eminentis refert, re ipſa autem easdem cum reliquis tibias inflat, niſi quod dominium eminens cum publibo male confundit, cujus differentias notavit B. Titius ſpec. jur. publ. lib. 3. cap. 7. §. 2. 3. 4.

ctum, omniaque ibi contenta privati dominii expertia generaliter ſibi aſſeruiſſe civitatem, quoniam autem in ſtatu monarchico princeps illam repræſentet, inde & adeſpota ad eum pertinere. Verum quæ B. TITIVS contra hypotheſin PUFENDORFII de origine civitatis movit, quod ſcil. fictionibus a veroſimilitudine alienis multa ſuperſtruat, & ſupponat, quæ probanda ſint, ea majori jure illi hic opponi poſſunt; videtur enim nimis indulgere ingenio, quando ponit, ſingulas gentes primo totos tractus occupaſſe, & tum demum agros diſtribuiſſe inter cives, ut adeo, quæ nulli privatorum aſſignata ſunt, videantur reſervata principi civitatem repræſentanti. Nam 1. facilior conjectura, & magis naturale eſt, coituros in civilem ſocietatem ſua jam ex occupatione, vel alio titulo habuiſſe bona, quam plane nulla (e), quo caſu autem, ceſſante illa diſtributione, nec dici poteſt voluiſſe populum, ut penes principem eſſent, quæ privatis non ſunt tributa, ſed multo magis cenſendum, in illum ſaltem tranſtuliſſe, ſine quo ſalutem reipublicæ conſequi non poteſt. Quamquam autem 2. concederem, populum quendam poſt conditam civitatem demum ſedes quæſiviſſe, & occupaſſe certos tractus, ac definiiſſe terminos, intra quos omnia ſibi aſſereret, nullo modo tamen mihi perſuadere poſſum, fuiſſe uno actu ita accurate diviſionem factam, ut exinde concludi poſſet, quæcunque privatis non ſint tributa, acceptaſſe Imperantes. Multo magis parva initia quarumlibet fere rerum

(e) Vid. HERTIUS de ſuperioritate territor. §. 43.

Digitized by Google

rerumpublicarum, & exiguus civium numerus, qui primis temporibus procul dubio fuit, probabile reddit, quemcunque patremfamilias ſolummodo tantum terrarum ſibi aſſeruiſſe, quantum ad culturam redigere valebat, dein vero, cum humanum genus multiplicaretur, quæ hactenus a nullo erant occupata, ſenſim acceptaſſe cives (f), quo factum, ut denique nullus fere

(f) Germaniam non uno actu, ſed ſucceſſive ad culturam eſſe redactam teſtantur origines plurimarum urbium, quæ demum in medio ævo, & quidem eo tempore, quo migrationes gentium ceſſaverant, & quidem certi fines territoriorum dudum erant conſtituti, ſunt conditæ, in iis locis, qui nihil erant quam horridæ ſolitudines, unde doctiſſ. MABILLON. ſec. III. act. ord. St. Benedicti part 1. præf. n. 48. ſeqq. exclamat: quid quondam Corbeja? quid Brema? modo urbes in Saxonia quid Fritislaria? quid Hersfeldum oppidum in Thuringia aut potius Haſſia? quid Salisburgum, Frinſinga, Eichſtadium urbes epiſcopales in Bajoaria? quid oppida ſ. Galli & Campidona apud Helvetios, quid numeroſa alia oppida in tota Germania; horridæ quondam ſolitudines ferarum, nunc amœniſſima diverſoria hominum. Hæc ſatis indicant, quantum a vero abludant, qui ſibi perſuadent, ea, quæ a privatis non fuerunt occupata, principi fuiſſe ſepoſita. Nec obſtat, quod Eccleſiæ, & monaſteria conſenſu Regum & Principum in ſolitudinibus condita ſint, nam 1. fuere primi conditores maximam partem peregrini, qui ex bonis ad civitatem pertinentibus nihil poterant occupare ſine ejus conſenſu, & ſane opus habebant protectionem ſibi ſtipulari. 2. Nobis non tam ſermo eſt de ipſis monaſteriis, quam de iis qui circa monaſteria ſedes poſuerunt, unde ſecundum ſupra dicta maximæ urbes ortæ ſunt, de quibus non conſtat, quod ante occupationem agrorum, & ædificationem conſenſum ſummæ poteſtatis requiſiverint. Denique 3 haud ſequitur, non poteſt acquiri dominium alicujus rei ſine conſenſu principis, ergo res illius eſt; etenim in plerisque urbibus ſine magiſtratus conſenſu nec domum quis ſibi comparare poteſt, quamquam nemo dixerit competere illi dominium in res & bona civium, ſed ut omnia illa ſaltem intentione fit, ut eo certius de animo acquirendi dominium conſtet, & cives ſe reipublicæ devinctos, atque ad præſtationes, cenſus,

Digitized by Google

fere locus humanis uſibus aptus a dominio vacuus relinqueretur. Si itaque intentio conditorum fuiſſet ea imperanti relinquere, quæ condita republica a privatis occupata non erant, occupari autem, & in uſus illorum converti poterant, profecto maxima terrarum pars ad eum pertinuiſſet. Nec obſtat, quod Dominium quarumvis rerum in tali tractu exiſtentium populus ſibi aſſeruerit, cuius collective ſumti jura in principem ſint translata, nam hoc tantum intelligi debet de iis juribus, quæ ad officium ejus digne exſequendum ſunt necesſaria, non autem finis reipublicæ, neque natura humana ſinit, ut præſumatur, etiam juribus, quæ circa bona, & dominium rerum ſingulis civibus competierunt, eſſe renunciatum in favorem principis, cui multo magis fere in omnibus rebuspublicis certa domania & bona, ex quibus ſe dignitatemque ſuam ſuſtentare poſſit, expreſſe ſunt data. Quid? quod omni probabilitate deſtituitur, vel affectaſſe Principes dominium adeſpotorum & primis illis temporibus ita ſubtiliter philoſophatos eſſe, ut ſibi deberi crederent, & acceptarent privati dominii expertia; ceſſante autem acceptatione, ceſſat illorum jus. Potius ergo dicendum, quanquam populus certum territorium, & ſingularum rerum in eo contentarum dominium acceptaverit, tamen id non factum ea intentione, ut, quæ a privatis non erant occupata, eſſent principis, ſed potius illa quaſi in medio

cenſus, onera & ſervitia ſciant obligatos. vid. VERPOORTEN de inveſtit. allodiorum §. 23. 24. 25. Apud Romanos non licebat ædificare in littore ſine decreto Prætoris, l. 50. D de acqu. rer. dom. (vel potius Principis, uti cum aliis legit JCtus Conſummatiſſimus Gerard NOODT) & tamen manifeſtum eſt illius dominium non fuiſſe penes imperantes.

relicta, ut ſi quis civium ea ſibi aſſerere, & exinde victum quærere vellet, illud cuique eſſet licitum. Quapropter cum Celeb. GVNDLINGIO (g) concludo: *quan-*

Ex antiquo more Germanorum occupandi agros per univerſitatem, eosque privatis diſtribuendi, nulla conjectura, cum Hertio elici poteſt, pro aſſerendo Principi eorum dominio.

(g) In via ad veritatem part. 3. cap. 35. §. 208. Conf. Dn. KRESS. diſſ. de jure ſummo ſumma injuria cap. 4. §. 2. Conſentit B. HERTIVS diſſ. de ſuperiorit. territor. §. 43. & regulam ponit: regalia quæ vocantur minora (quo adeſpota refert) ad ſummum imperantem non ſpectare, niſi lex, mos aut major conjectura exceptionem ſuggerant. Talem conjecturam adeſſe exiſtimat, ſi populus primum terras dominii jure occupaverit, & poſtea in cives diſtribuerit Hoc autem in Germania contigiſſe ubi, teſte Tacito de M. G. cap. 26. agri pro numero cultorum ab univerſis per vicos occupati, & mox inter ſingulos ſecundum dignationem ſint diviſi. Non dicam, quod admodum a veroſimilitudine alienum ſit, Germanos imperantibus aſſignaſſe ejusmodi incertos proventus, & ea, quæ a privatis non tenebantur, cum Tacitus cap. 15. referat, a ſingulis collatum eſſe, unde ſe principes ſuſtentarent. Mos eſt, inquit, civitatibus ultro ac viritim conferre principibus vel armentorum vel frugum, quod pro honore acceptum, etiam neceſſitatibus ſubvenit. Nec iterum moveo, quod ſupra jam dixi, admodum levi fundamento hanc conjecturam niti, ſed id tantum urgebo, ea, quæ aſſeruntur, minime probare, Germanos prius dominii jure terras per univerſitatem occupaſſe, & tum demum diſtribuiſſe ſingulis. Etenim ipſe HERTIVS not. vet. Germ. populorum cap. 3. §. 15. agnoſcit, ſingulos Germanorum proprios agros non habuiſſe, ſed ſæpius mutaſſe locum, quapropter, quæ ex Tacito adducit, neutiquam ſunt accipienda de originaria occupatione, & partitione, qua agri diſtributi, & a ſingulis acceptati fuerint animo acquirendi dominium, ſed hoc penes totum populum remanſit, diviſione ſaltem quoad uſum facta. Vnde corruit conjectura, qua ex occupatione per univerſitatem dominium adeſpotorum Principi aſſeritur, & multo magis in aprico eſt, noluiſſe Germanos, ut, quæ toti populo circa bona competerent jura, pertinerent privative, ad imperantes. Equidem Ill. THOMASIVS diſſ. de hom. propr. §. 65. putat, non id voluiſſe Tacitum, quod ſingulis annis mutarint locos Germani, & de novo exſtruxerint ædes (ſicuti CLVVERIVS Germ. antiq. lib. 1. cap. 13. illum interpretatur) utpote quod commode fieri non potuiſſet, etiamſi eorum *habita-*

Non videntur quæ Tacitus de mutatione

quamquam bona conſequentia videatur, hæc res particulari privatorum dominio eſt exempta, ergo ad dominium publicum pertinet, tamen adhuc dubium manet, an non po-

habitationes fuerint ſimpliciſſimæ, & cum caſis noſtrorum ruſticorum valde convenientes, ſed quando dicat: arva per annos mutant, & ſupereſt ager. Nec enim cum ubertate & amplitudine ſoli labore contendunt, ut pomaria conſerant, & hortos rigent. Sola ſeges terræ imperatur; tunc per agrorum mutationem ſaltem eſſe intelligendum morem adhuc hodie uſitatum des Brachliegens. Favet quidem Cæſar Cluverii explicationi dum de B. G. lib 4. cap. 1. de Suevis narrat: Privati ac ſeparati agri apud eos nihil eſt: neque longius annum remanere uno in loco incolendi cauſa licet. Et lib, 6. Neque quisquam agri modum certum, aut fines proprios habet; ſed magiſtratus ac princeps in annos ſingulos gentibus cognationibusque hominum, qui una coierunt, quantum eis, & quo loco viſum eſt, attribuunt agri, atque anno poſt alio tranſire cogunt. Ejus rei multas afferunt cauſas; ne aſſidua conſuetudine ſtudium belli agricultura commutent; ne latos fines parare ſtudeant, potentioresque humiliores poſſeſſionibus expellant; ne accuratius ad frigora atque æſtus vitandos ædificent; ne qua oriatur pecuniæ cupiditas, qua ex re factiones diſſenſionesque naſcuntur; ut animi æquitate plebem contineant, quum ſuas quoque partes cum potentiſſimis æquari, vident. At vero hunc erroris incuſat Thomaſius, eumque non recte intellexiſſe narrationem de agricultura Germanorum autumat. Ego jam non diſputabo, an ab omni probabilitate prorſus aliena ſint, quæ Cæſar habet, nec ne, ſed id ſaltem dicam, ſi error adeſt ejusdem quoque Tacitum mihi reum videre, nec me in ea verſari opinione, quæ de mutatione agrorum ille refert ſaltem reſpicere morem Germanicum, quo agri per certum temporis ſpatium inculti relinquuntur, ut dein uberiores proferant fructus. Etenim communiter Romanos de agricultura Celtarum & occidentalium ac ſeptentrionalium populorum eundem ſibi cum Cæſare conceptum formaſſe, ſatis liquet. Horatius lib. 3 od. 24. de Scytis & Getis ita canit:

agrorum Germanis ſolita narrat ſaltem de more illo des Brachliegens cum Dn. Thomaſio intelligenda eſſe.

- - - - - Campeſtres melius Scythæ
(Quorum plauſtra vagas rite trahunt domos)
Vivunt, & rigidi Getæ
Immetata quibus jugera liberas

Fruge

tius res ſit dicenda nullius, antequam ea alicujus denuo efficiatur. Ergo vel factum populi vel factum imperantis requiritur, ut res dominio particulari vacua publica fiat.

§. 4. Ha-

Fruges & Cererem ferunt.
Nec cultura placet longior annua;
Defunctumque laboribus
Aequali recreat ſorte vicarius.

Idem narrat STRABO lib 7. Communis omnibus Germaniam incolentibus eſt mos, facile atque expedite ſolum mutare, ob tenuitatem victus, tum quod neque colunt agros, neque fructus recondunt: ſed in caſis habitant, ſtructura in unum diem conſtantibus. Cibus autem eis plerumque e pecore ut Nomadibus, ad quorum etiam imitationem rebus ſuis in currus impoſitis, quocumque viſum, cum pecore abeunt. Et DIODORUS lib. V. de Vaccæis Hiſpanica gente inquit: Agros ſingulis annis diviſos colunt communitis inter ſe frugibus, ſuam cuique partem attribuunt. Ipſe Tacitus cap. 31. de Cattis dicit: Nulli domus, aut ager, aut aliqua cura, prout ad quemque venere, aluntur. Jam vero ſi ipſe locus, circa quem in diverſa abeunt, inſpicitur, apparet ultima, quæ de mutatione agrorum dicuntur, admittere quidem explicationem Dn. Thomaſii, ſed antecedentia, occupationem ſcil. & partitionem agrorum utique ponere quod non ſemper in iisdem locis remanſerint; niſi de occupatione originaria illa intelligere velis, quod tamen neutiquam fieri poteſt, quoniam verba, quæ adhibet Tacitus de præſenti ſunt, & antecedentia atque conſequentia oſtendunt, illum loqui non niſi de moribus, qui ipſius tempore obtinebant. Sive itaque dixeris etiam in hac re errore ſe obrepi paſſum eſſe Tacitum, & cum Cæſare aliisque perverſum ſibi conceptum formaſſe de agricultura Germanorum, ſive eorum narrationi fidem adhibeas, mihi perinde eſt, cum utroque caſu labefactetur conjectura, quæ exinde petitur pro aſſerendo Principi adeſpotorum dominio. Interim, quanquam dixeris ſæpius Germanos loca mutaſſe, non tamen inde negatur, (nec Cluverius id negat) etiam morem, quo per annum vacat agrorum pars, ut poſtea eo uberiores fructus producere poſſit, ſimul indicare voluiſſe Tacitum & alios, quem & ſupra adductus Horatius ſatis clare notavit. Poſtquam Germani ſolo patrio derelicto in meridionales terras migrationes

§. 4. Hactenus de adeſpotis in genere diſputatum eſt, jam in ſpecie ad feras beſtias deſcendendum. Quanquam enim ex primæva acceptatione ea, quæ in tractu territorii ſunt dominii expertia, principi adſcri poſſe largiremur, non tamen inde ſequeretur, feras beſtias ad eum pertinere. Hæc enim vel ad acceſſoria fundi, cui inſunt, referri debent, vel nullius ſunt, donec

Licet privati dominiis expertia Principi adſcribantur tamen feræ beſtiæ illi adſcribendæ non ſunt.

tiones ſuſceperunt, ſæpius quidem devictas regiones militibus diſtribuiſſe Reges videmus; Vid. GUNDLING Gundlingian. diſſ. 1. ʃ. 7. HERTIUS de ſuperioritat. territ. §. 44. id vero in Germania quoque factum, non conſtat, & licet factum inveniremus procul dubio tamen tantum ea, quæ culta erant in diviſionem venerunt, reliquis in medio relictis, ut cuique liceret ea ad culturam redigere. In Saxonia ejusmodi diviſionem contigiſſe minime probant, quos allegat B. Hertius, Ann. Franc. Fuldenſes, qui ad annum 777. dicunt: Saxones baptizati ingenuitatem & omnem proprietatem ſuam, ſecundum morem gentis, abdicantes Regi tradidiſſe, ſi a die illa & deinceps Chriſtianitatem ac Regi & filiis ejus fidelitatem abnegaſſent. Inde enim non probatur, Saxones re ipſa bonorum ſuorum jacturam feciſſe, & illa a Rege inter alios eſſe diviſa, ſed tantum eventualiter, ſi ſcil. rebellionem ſuſciperent, hanc poenam ipſos in ſe provocaſſe, ſecundum morem gentis. Et quanquam poſtea ſæpius jugum excutere niſi ſunt, hæc poena tamen in illos neutiquam eſt ſtatuta, ſed demum bello finito priſtinæ libertati reſtitutos jus Francicæ civitatis obtinuiſſe jam ſæpius dictum eſt. Multo magis apparet ex Anonymo Poeta apud Reuberum, qui bellum Saxonicum deſcripſit, Saxones, ut rebellionem contra Henricum IV colorarent, adduxiſſe, ſibi in eo fieri injuriam, quod indigenæ prohibeantur ſilvis communibus uti; quæ aperte indicant, privati dominii expertia ſummæ poteſtati haut reſervaſſe Germanos, ſed illorum uſum communem fuiſſe. Speciatim autem quod ad feras beſtias attinet, cum illæ non potuerint dividi, qui, quæſo! conjicere poſſumus, eas principi eſſe reſervatas, eo quod in prima occupatione diviſæ, & privatis expreſſe forſan aſſignatæ non ſint. Quid? quod conjectura, ſi ex tali hypotheſi aliqua oriretur, per alias conjecturas facile tolli poteſt, quod ʃʃ. ſeqq. adjuvante Deo præſtabimus.

Digitized by Google

nec fuerint occupatæ. Quamcunque ſententiam eligas, mihi perinde eſt, quoniam utraque cum theſi, quam ſtabilire intendo, ſtare poteſt. Si priorem (*a*), illius erunt feræ, cujus eſt fundus, in quo reperiuntur. Licet enim imperium principis totam regionem complectatur, non tamen idem dicendum de dominio proprie dicto, ſed illud in iis, quæ publico dominio non ſunt reſervata, privatorum eſt, quibus ita & feræ beſtiæ ſunt adſcribendæ. Competit quidem ſummæ poteſtati facultas utendi bonis ſubditorum in caſu extremæ neceſſitatis, quam Grotius dominium eminens appellavit, verum hoc jus de dominio nihil niſi nomen participat, & proprie imperii pars eſt (*b*). Quod ſi poſteriorem ſententiam amplecteris, & feras non acceſſoria fundi, ſed res nullius eſſe dicis, quoniam per campos & ſilvas, per territoria & regna, per loca inacceſſa errantes omnem acquirendi dominii affectum, donec occupentur, effugiant, adeoque in ſingula eorum capita, ne ulla quidem animi deſtinatione apprehenſa, dominium cadere haut potuerit (*c*), tunc ſatis aper-

(a) Vid. Ill. THOMASIVS inſtit. jurisprud. div. lib. 2. cap. 10. §. 151. ſeqq. & 206. Idem in notis addition. ad Huberi prælect. juris civ. ad tit. ff. de acquirendo rer. domin. §. 7. pag. 364. Zacharias HESS. diſſ. de Venatione juxta jus Germ. §. 7.

(b) Ill. COCCEIVS diſſ. de imperio in pares §. 6. & diſſ. de ſumma poteſtate §. 18. 19. Ill. THOMASIVS in not. ad Huberum de jure civit lib. 1. Sect. 3. cap 6. lit. e. Celeber. GVNDLINGIVS in via ad veritatem part 3. cap. 35. §. 217. B. TITIVS ſpec. jurispubl. lib. 3. cap. 7. §. 2. & in obſ. ad Pufendorfium de off. hom. & civ. obſ. 676. Dn. Auguſt. LEISER diſſ. de aſſentationibus ICtorum §. 31-33.

(c) Georg. Adolph. CAROC. diſſ. de dominio publico ab eminenti &

apertum eſt, neque principi aliquid juris circa ea com-
petere, cum ita per occupationem territorii neque to-
ti populo acquiri, atque adeo in primæva diſtributio-
ne præſumta hujus voluntate nec Majeſtati aſſignari
potuerint. Vnde non aſſequor, quomodo Joh. Fri-
dem. SCHNEIDERVS (*d*), cum Bechmanno, hic poſ-
ſit diſtinguere inter dominium privatum & publicum,
ita ut libertas circumvagandi ferarum illud reddat am-
biguum, non hoc, quoniam omne quod eſt in terri-
torio principis ad eum pertineat. Illa enim regula ex
antedictis limitanda. Pertinet regio cum omnibus ac-
ceſſoriis ad eum tanquam ad imperantem, non tan-
quam ad Dominum. Nec abeſt difficultas, quæ pri-
vatum dominium ambiguum reddit, quoniam non
minus territoria mutant, quam agros feræ, quod in
imperiolis noſtris Germanicis quotidie contingit. Et
licet diceremus in vaſtiſſimis regnis magis certam ſpem
adeſſe illas remanſuras, non tamen hæc omni dubio
caret, & ſequeretur inde, eſſe in dominio, quæ in
mediſullio imperii degunt, non autem quæ in finibus.
Si vero ſtatuamus, (quæ ipſa diſſentientium mens eſt)
infinitam illam ferarum libertatem ſaltem dominium
perpetuum, non momentaneum excludere, haut vi-
deo, quare non privatis, in quorum agris ſunt, attri-
bui debeant.

§. 5. Sicuti autem ſua natura venatio regalibus
annumerari nequit, ita nec probari poteſt in Germa-
nia

Facto populi in Germania nunquam

& jure imperii diverſo §. 17. Doctiſſ. Juſtus Henningus BOEH-
MERVS juriſpubl. univerſ. part. ſpec. lib. 2. cap. 10. §. 9. lit. d.
(d) diſſ. de jure præventionis circa venationem §. 10.

R

venatio Principibus eſt reſervata, ſed omnes ingenui illam exercuerunt.

nia facto populi imperantibus illam reſervatam eſſe, cum potius contrarium ex hiſtoria liquido appareat. Hæc enim nos docet, ab antiquiſſimis temporibus Germanos venationi fuiſſe deditos, illique multum temporis tribuiſſe, quod ſane fieri non potuiſſet, ſi illa privatis interdicta, a principibus ſaltem exercita fuiſſet. Produco teſtes Cæſarem & Tacitum. Ille in comm. *de B G. lib. 6.* ait: *vita omnis in venationibus atque ſtudiis rei militaris conſiſtit : a parvulis labori atque duritiæ ſtudent.* Et lib. 4. de Suevis: *multumque ſunt in venationibus. Quæ res & cibi genere, & quotidiana exercitatione, & libertate vitæ (quod a pueris nullo officio aut diſciplina aſſuefacti nihil omnino contra voluntatem faciant) & vires alit, & immani corporum magnitudine homines efficit.* Hic de M. G. cap 25. *quoties bella non ineunt, multum venatibus, plus per otium tranſigunt, dediti ſomno ciboque.* Tantum abeſt, ut hæc venandi libertas in ſequentibus temporibus ſit reſtricta, ut potius evidentiſſima ejus veſtigia, tam ſub imperio Carolingorum, quam reliquorum imperatorum reperiamus. Magni ponderis hic eſt teſtimonium EGINHARDI viri politici, qui in aula imperatoria vixit, & procul dubio quæ jura competierunt. Regibus optime ſcivit. Hic autem *in vita Caroli M.* eadem de Francis refert, quæ ex Cæſare & Tacito attulimus. Inquit *editionis Reuber. pag. 9. Filios, quam primum ætas patiebatur, more Francorum, equitare, armis ac venationibus exerceri facit.* Et pag. 19. *exercebatur aſſidue equitando ac venando, quod illi gentilitium erat, quia vix ulla in terris natio invenitur, quæ in hac re Francis poſſit æquari.* Idem jam antea notavit AIMOINUS *hiſt. cap. 21.* ubi: *ut moris*

ris

ris eſt Francorum venatui inſiſtere. Quoad Saxones hæc eo minus dubii habent, quoniam illi, antequam a Francis ſubigerentur, plane nullos habuere reges, qui naturalem libertatem venandi reſtringere potuiſſent (*a*). Devicti autem Francis adunati unus cum iis populus, eorundem jurium participes facti ſunt. Quid? quod manifeſto indicio eſt illos jus venandi conſervaſſe, quod tanquam gravamen apud Henricum IV. allegarunt, ſe prohiberi ſilvis communibus uti; Vſus autem ſilvæ inprimis comprehendit venationem; & fluit exinde, non tantum in propriis fundis, ſed etiam in illis locis, quæ communia erant privatos venatos eſſe. Docet hoc, quem ſupra citavimus, Poeta (*b*), qui ita canit:

Rex, tam virtutum, quam regni nobilis heret.
Patris avique tui, meritis contraria noſtris.
Plurima pertulimus, tibi nunc ſemperque fideles.
Vim qui ferre ſolent aliis in partibus orbis,
Hanc nobis faciunt: pupillus & advena quivis.

 In-

(a) In Rebuspublicis libertas naturalis quam minime reſtricta eſſe ſolet, uti quoad venationem exemplo Romanorum firmatur. Vid. Schilter ad ff. exercitat. 45. §. 3.

(b) Apud Reuberum pag. 202. Ita etiam du Fresne in Gloſſar. voce Foreſtarius de feudo ex Arnaldi de Hiſpania regeſto Homagiorum Ducatus Aquitaniæ ſequentem formulam notat: Item dixit, & recognovit, ſe tenere in feudum a dicto Domino villam .... & cuſtodiam ſaltuum, quos ſaltus dixit, quod debet cuſtodire, pro dicto Domino Rege, &, ſi invenerit aliquem venantem, qui non debeat venari pro natura ſua ſcil. quod ſit nobilis, aut jure ſuo debeat venari, debet ipſum capere &c. &c. Hic aperte dicitur nobili pro natura ſua venari licere in ſaltibus. Et quia Aquitania quoque ad imperium Francicum, cum Germania noſtra pertinuit, inſigniter inde firmantur, quæ de jure venandi ſub Carolingis ingenuis hominibus competente diximus & dicemus poſtea.

Indigenas prohibent ſilvis communibus uti,
Paſcua præripiunt, abigunt armenta gregesque.

Nec video rationem, quæ movere potuiſſet, tam Francos, quam Saxones, exercitio, genio illorum bellicoſo ita conformi, ſe privare, & omne jus in feras in majeſtatem transferre, cum, præſertim iis temporibus, hæ ad ſuſtinenda onera imperii parum conferre poterant. Sicuti enim adhuc hodie raro ex venatione magna utilitas percipitur, ſed utplurimum ſumtus quos requirit, ſuperant fructus, ita antiquis illis temporibus adhuc minus lucroſa fuiſſe videtur, cum major ferarum abundantia eſſet. Quantum autem in principum aulis conſumebatur foreſta dominica, quæ in omnibus fere provinciis conſtituta erant, ad abundantiam ſuppeditabant.

Privatis in foreſtis Dominicis ſaltem venari prohibitum erat.

§. 6. Ipſæ leges Germanorum venationis regalitati, ut ita loquar, contradicunt, & theſin noſtram non parum firmant, dum non niſi in foreſtis Regiis venationem prohibent (*a*), cum tamen, ſi totum imperium banno ferino munitum & omnes feræ Regis fuiſſent, procul dubio generaliter prohibitionem ad omnia loca extendiſſent, exceptis ſaltem iis, in quibus per ſpeciale privilegium nonnullis venandi jus conceſſum erat, quod dum non factum eſt, inde ſequitur extra tractus expreſſos venationem fuiſſe permiſſam, quoniam exceptio firmat regulam in caſibus non exceptis. Jus Allemannicum *cap.* 237. ita ait: Do GOtt den Menſchen beſchuff, do gab er ihm Gewalt über Viſch und über Vögel und über alle wilde Thier. Davon habent

(a) B. STRYK in præf. ad FRITSCHII corpus juris venatorio foreſtal. n. 23. 24. SCHILTER ad ff. exercit. 45. §. 6.

habent die König geſetzt das niemant ſein Leib noch ſeinen geſund verwircen mag met dieſen Ding doch habent die Herren Panforſt. Wer in da in icht thut da habent ſi Puß darüber geſetzt. Allen Thieren iſt Fried geſetzt an Wolffen und Pern, an den bricht niemand kein Fried. Wer in einen Panforſt Wild wundet, vellet oder jaget, der ſol dem Herren das er da is drey Pfund ſetzig Schiling de Landpfennig geben. Idem docet jus Saxonicum *lib. 2. art. 61.* quod tantum trium foreſtorum mentionem facit, his verbis: dies ſind drey Banforſt: der eine iſt die Heyde in Koyne, der ander iſt der Hartz, der dritte die Maget Heyde oder Prettiniſche, wer hierinnen Wild fahet der ſoll wetten des Kunigs Ban, das ſind 60. Schilling. Carolus M. in *leg. Longobard. except. cap.* 5. (*b*) conſtituit, *ut nemo pedicas in foreſto Dominico, neque in quolibet regali loco tendere præſumat. Et ſi ingenuus hoc perpetraverit, bannum Dominicum ſolvat: & ſi ſervus eſt, Dominus illius emendet, ſicut lex eſt. In capitul. Caroli M. ad annum* 502. *cap.* 39. (*c*) ſaltem prohibetur: *ut in foreſtes noſtras feramina noſtra nemo furari audeat, quod jam multis vicibus fieri contra diximus, & nunc iterum bannimus firmiter ut nemo amplius faciat, ſicut fidelitatem nobis promiſſam conſervare cupiat, ita ſibi caveat &c.* LUDOVICUS Pius *anno* 819. *cap.* 22. (*d*) diſponit: *De foreſtibus noſtris, ut ubicunque fuerint diligentiſſime inquirant, quomodo ſalvæ ſint & defenſæ: & ut comitibus denuncient, ne ullam novam foreſtem inſtituant, &*

 ubi

(b) Apud Baluzium pag. 349.
(c) Apud Baluzium pag. 374. Conf. Du Fresne gloſſ. voc. feramen.
(d) Apud Baluz. pag. 617. 788.

Digitized by Google

ubi noviter inſtitutas ſine noſtra juſſione invenerit, dimittere præcipiat. Et Conradus Salicus *in conſtitutione apud* GOLDASTUM (*e*) edicit: *in ſilvis, campis, fluminibus, & paludibus foreſtatis, & banni noſtri diſtrictu circumvallatis, ea ratione bannum facimus, ut nemo ulterius in iisdem absque domini ſuorumque hæredum permiſſu poteſtatem habeat venandi, ſagitandi, retia aut laqueos ponendi, aut ullo ingenio feras decipiendi, quæ merito ſub jure banni continentur* (*f*). Hæc omnia ſatis manifeſto indicant, non niſi in foreſtis dominicis ferarum capturam fuiſſe prohibitam, & conſequenter extra foreſta cuilibet in ſuo (*g*) permiſſam, quod & corroborat aſſertio illa juris Saxonici: **jägt ein Mann auſſerhalb des Forſtes, und folgen ihn die Hunde in Forſt er mag wohl nachfolgen und miſthut daran nicht, ob er das Wild gleich in dem Forſt fähet.**

Vt plurimum prædiis nobilibus venationem connexam fuiſſe videmus.

§. 7. Adhuc aliud argumentum in medium tulit Doctiſſ. KRESSIUS (*a*). Provocat enim ad varia diplomata, in quibus venatio diſertis verbis ad pertinentia

(e) Conſtitut. imperialium tom. 3. pag. 312.

(f) Miror Stephanum Chriſtoph. Harprecht Sciagraph. liberæ venationis germanicæ imprimis Sueviæ §. 5. exiſtimare, libertatem naturalem venandi in Germania hac conſtitutione penitus fuiſſe abolitam, cum tamen non niſi de ſilvis foreſtatis, & banni diſtrictu circumvallatis loquatur, qui propter proprio, quod vetus verbum eſt, gladio jugulari poteſt. cum exinde firmius argumentum petatur ad aſſerendam illam libertatem extra foreſta, quam deſtruendam.

(g) Sicut enim jure Rom. ita & Germ. in alieno fundo nemini licuiſſe feras capere, niſi in ſuo vulneratas ibi mortuas apprehenderit, docet Schilter ad ff. exercitat. 45. §. 10. quod & naturali rationi admodum congruit, cum nemo teneatur pati, ut alter venandi gratia ipſius fundum ingrediatur. vid. Otto Mencken diſſ. de jure majeſt. circa venationem §. 6. 7.

(a) diſſ. de privil. agricult. apud Germ. cap. 2 §. 13.

tia jura prædii ab ipſis Regibus refertur. Ita v. g. apud KETNERVM *antiq. Quedlimburg. pag.* 162. Conradus Imperator inquit: *quoddam noſtri juris prædium - - - - cum omnibus utenſilibus ad idem prædium jure pertinentibus tradidimus* (jam quæ ſint pertinentia exprimit imperator) *cum areis, ædificiis, mancipiis utriusque ſexus, agris, campis, pratis, paſcuis, exitibus & reditibus, ſilvis, venationibus, viis & inviis, terris cultis & incultis, aquis aquarumve decurſibus, piſcationibus, molis, molendinis, cum omni utilitate, quæ ſcribi poteſt, aut nominari penitus.* Adduxit plura diplomata Ottonis II. Henrici III. &c. in quibus venationes dicuntur *appendiciæ, utilitates ad rem reſpicientes, legales juſtæque appertinentiæ, item integritas prædii.* Mihi idem ſæpius obſervare licuit. In donatione ab Ottone M. Abbatiæ Pohlde facta apud MADERVM *antiquitatum Brunſvicenſ. cap.* 4. *n.* 3. imprimis clare id exprimitur. Verba ſunt: *Abbatiæ Palithi tertiam partem curiæ Palithi cum omnibus ad hanc rite pertinentibus iidem eccleſiæ in perpetuum perdurandum donamus, hoc eſt, areis, terris cultis & incultis, viis & inviis, exitibus & reditibus, quæſitis & inquirendis, agris, campis, pratis, paſcuis, ſilvis, piſcationibus, venationibus, molendinis, mobilibus & immobilibus, & in mancipiis utriusque ſexus cunctisque aliis rebus, quæ ad hæc aliquatenus dici vel accommodari poſſunt &c.* Eadem reperies in privilegiis Eccleſiæ Mindenſis, apud PISTORIVM *privileg.* 13. 30. 31. 33. Apud HEDAM *Hiſtor. Epiſc. Vltraject. pag.* 137. Apud MEIBOMIVM *rerum Germ. tom.* 1. *p.* 741. 744. 751. 752. & *tom.* 2. *pag.* 430. 376. Apud LINDENBROGIVM *in privilegiis archieccleſ. Hammaburgenſis privil.* 13. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 33. 44. 50. 77. 80. Apud

Digitized by Google

Apud LAMBECIUM *rerum Hamburgenſium pag.* 40. Apud TOLNERUM *codic. diplom. Palat. adject. hiſt. Palatinæ n.* 24. 30. 45. Apud LEUCKFELDUM *antiq. Walkenrid. part.* 1. *cap.* 13. §. 5. *pag.* 203. & *part.* 2. *in addendis pag.* 194. Apud Aubertum MIRAEUM *Donat. Belgic. lib.* 1. *cap.* 34. Adde Ejusdem *Diplom. Belgic. Tom. II.* c.93. ubi Johannes I. Brabantiæ Dux & frater ejus Godefridus *dividentes cum Johanne Riviræ domino jura in allodio Arſchotano fatentur hujus eſſe venationem, piſcationem, & aucupium, ſeu avium captionem ubique ſuper bona ſua.* At vero non levi dubitationi circa hoc ratiocinium anſam dat, quod quandoque ad pertinentia prædii etiam referantur monetæ, Telonia, mercatus &c. Occurrunt exempla apud LINDENBROGIUM *loc. cit.* Etenim *privileg.* 25. *Eccleſ. Hamburgenſi* donatur, *Regiæ proprietatis quoddam prædium, curtis ſcil. quæ vocatur Lieſtmuone, cum univerſis appendiciis, hoc eſt utriusque Sexus mancipiis, ... piſcationibus, venationibus, ... monetis, theloniis, noſtrique banni diſtrictum ſuper omnes terram inhabitantes, foreſtum etiam cum banno regali &c.* & *privil.* 27. donatur Eccleſ. Hamburg. *Comitatus Udonis Marchionis, cum univerſis appendiciis ejusdem Marchionis beneficia reſpicientibus, hoc eſt, utriusque ſexus mancipiis . . . . . mercatis monetis, theloniis, foreſtum etiam cum noſtro banno regali per omnem Comitatum &c.* Et *privil.* 79. itidem Hamburgenſes accipiunt *villam Sinzicbe, cum omnibus appendiciis, utriusque ſexus mancipiis, ... quæſitis & inquirendis, monetis quoque mercatis, theloniis omnique diſtrictu.* Idem obſervatur *privil.* 80. in donatione curtis Tusburch. Ex his inferendum videtur, in ejusmodi diplomatibus non tam recenſeri

quæ

Digitized by Google

quæ regulariter ad quemcunque fundum pertineant, quam quæ in ſpecie huic vel illi, per conceſſionem vel alio modo, ſint acquiſita. Non tollitur hoc dubium, ſi dicamus, in adductis privilegiis de Comitatibus & Curtibus regni ſermonem eſſe, quoniam nec illorum pertinens eſt jus monetandi vel thelonia, ſi non ſpecialiter ſint conceſſa, quæ ne quidem hodie, cum ſtatuum jura ad tantum faſtigium pervenere, ſine privilegio exerceri poſſunt. Interim remanet non levis conjectura, venationem regulariter cum prædiis fuiſſe connexam, quoniam ita frequenter ad pertinentia fundi refertur. Inprimis cum illam allodii jure poſſeſſam videmus, & proinde ex mero arbitrio alienatam, cum tamen in medio ævo, uti jam ſupra notavimus fere ſemper jure Feudi regalia ſubditis ſint conceſſa, quæ ſine conſenſu domini directi alienari nequeunt. Equidem in multis diplomatibus non expreſſe ejus mentio fit, comprehenditur tamen vel ſub conceſſione ſilvarum, uti apud PISTORIUM *in traditionibus Fuldenſibus pag.* 456. ubi: *quicquid ibi proprietatis habemus, absque una Hoba, id eſt, in terris, ſilvis, campis, pratis &c.* vel ſub clauſula, quam plerumque additam videmus: *cum omnibus adjacentiis, vel omni utilitate, quæ inde provenire poterit.* Hoc meridiana luce clarius pateſcit ex *codice diplom.* TOLNERI *diplom.* 30. 31. 32. ubi, cum prædium in Brouvviller ab Ehrenfriedo Comite Palatino Clero donatum, ab hæredibus primum repeteretur, dein vero donatio confirmaretur, in *privileg. Henrici III.* ſuper hoc actu confecto expreſſe dicitur: *donari prædium illud cum omnibus ſuis appendiciis, hoc eſt, utriusque ſexus mancipiis, locis, ædificiis, terris cultis & incultis*

Quamquam in nonnullis donationum tabulis non expreſſe venationis mentio fiat, tamen ſub clauſulis: cum omni utilitate, omnibus adjacentiis, comprehenditur.

tis, viis & inviis, pratis, paſcuis, ſilvis, venationibus, aquis &c. In alio diplomate *n.* 31. ubi circa conſtitutionem advocati nonnulla diſponuntur, repetitur ipſa donatio, nulla autem venationis mentio fit, ſed ſaltem dicitur: *qui amore & timore Dei commotus ..... æterna memoria dictum prædium in Bruvvilre cum omnibus appendiciis ſuis & cum omni integritate, ſcil. in agris, pratis, aquis, paſcuis, Deo ac piiſſimo Nicolao, & fratribus ibidem Deo ſervientibus perpetuo poſſidendum ſecundum definitionem ad liberam parentum ſuorum traditionem pari devotione contulerunt. Terminum etiam & bannum ipſius prædii prædictum monaſterio, ſicut eorum progignatores habuiſſe noſcuntur, deſignantes a via* &c. In teſtamento Richenzæ Poloniæ Reginæ Erenfridi filiæ ſimiliter donatio iteratur, & tamen nulla mentio fit venationis: Interea quis dubitaret, etiam vi teſtamenti & poſterioris diplomatis, venationem monaſterio competiisſe, eamque ſub appendiciis, & omni integritate prædii comprehendi, cum in priori diplomate expresſe memoretur, & adeo perfecta ſemel donatione nec revocari potuisſet a donantibus, vel, ſi potuisſent & voluisſent, procul dubio expreſſis verbis id indicasſent.

Adhuc hodie plerumque pertinens fundi nobilis eſt.

§. 80. Eo minus dubii hæc habent, quo evidentius adhuc hodie venationem esſe pertinens fundi nobilis ac liberi obſervamus. Notoria enim Germaniæ conſuetudine omnes fere nobiles, id eſt, ut Sect. I. cap. 2. probatum dedimus ingenui ac liberi homines in ſuo venationem exercent (*a*), quanquam minima earum

(a) Meiſchner. tom. 3. deciſ. 33. n. 87. Joachim. Decher diſſ. de jure venandi theſ. 3.

rum pars conceſſionem producere poſſit. Boemus in *lib. de Mor. Gent.* jam de hac conſuetudine teſtatur, quando pag. 289. inquit: *communiter tamen venantur (nobiles), quod ſolis ipſis licere longo uſu & conceſſa libertate contendunt: privatis leporum, præſertim caprearum, binnulorum, cervorumque venatio in aliquibus locis oculorum effoſſione, in quibusdam truncatione capitis interdicta. Noxias tamen feras captare cuique licet.* Ruſticis, qui ſervilis ſunt conditionis, non magis venatio unquam eſt permiſſa, quam ſervis Romanis, ſed in illorum prædiis domini illam exercebant. Si ſingulas Germaniæ provincias percurrere liceret, inveniremus fere ubique adhuc hodie idem in viridi eſſe obſervantia. De Bavaria teſtatur Waitzeneggerus (*b*) ibi prælatos & nobiles in ſuis & ſubditorum ſilvis venari. Idem obtinet in Ducatu Luneburgico, in quo nobilibus competit venatio in iis locis, ubi prædia, vel colonos habent, vel decimas percipiunt; nec non in Ducatu Bremenſi & Verdenſi idem obtinet. In Ordinatione Politica Megapolitana expreſſe domino fundi venatio adſcribitur, & ita fructibus fundi accenſetur (*c*): So ordnen, ſetzen, und befehlen wir, das hinführo der keiner dem andern auf ſeinen und ſeiner Unterthanen Grund, Boden, und Güthern, ohne des Grundherren Erlaubniß und Vorwiſſen, zu jagen, hetzen, und Weidwerck zu treiben ſich anmaſſen ſoll, und wann jemand nur einen oder zween Pauren in einen Dorf, und weniger denn 4. Hufen auf der Feldmarck, und der

(b) Diſſ. de jure venandi theſ. 20.
(c) Mecklenburgiſche Policey-Ordnung de 1562. tit. von Jagen.

Digitized by Google

der andere mehr Hufen hätte, ſo ſoll ſich der ſo weniger hat des Jagens nicht unterſtehen, wo aber ihrer viel eines Geſchlechts ein Dorf oder ihrer viel faſt gleich Theil an der Feldmarck hätten, ſo ſollen ſich dieſelben ihrer Gerechtigkeit zugleich gebrauchen &c. De libera venatione Suevica von der freyen Pürſt-Gerechtigkeit in Schwaben vide HARPRECHTVM (*d*); Qui tamen in eo mihi impingere videtur, quod, ex falſo ſuppoſito venationem ad regalia pertinere, & inde ſolum Ducibus competiiſſe, hujus juris origines in excidio Ducum Sueviæ quærit, cum potius ab ipſis incunabulis reipublicæ Germanicæ ſint repetendæ. Apud Friſios, Germanicam gentem, quascunque feras ab omnibus agrorum dominis libere captari nos docet Vlr. HVBERVS (*e*), qui & Brabantis liberam venationem permitti refert. In Livonia, quæ ſub auſpiciis Imperii Germanici ab Enſiferis Germanis tenebatur, & ubi pleræque familiæ nobiles ſunt Germanicæ originis, nobilibus jus venandi antiquitus competiiſſe, docet Diploma, quo Sigismundus Auguſtus Poloniæ Rex jura nobilitatis confirmat, §. 21. ubi: *quemadmodum antiquitus omnibus Livoniæ proceribus, nobilibus, equitibus, vaſallisque libera in univerſum hucusque ferarum luſtra atque meatus fuerunt, ipſaque venatio liberrima; ita ſilvarum, nemorum, paſcuorum, pratorum, aſtuumque liberrimum habuerint uſumfructum &c &c.* (*f*)

Nonnulla d[illegible]ia removentur.

§. 9. Ita ſatis probatum videtur aſſertum, Germanis eam nunquam fuiſſe mentem, ut naturali libertati

(d) Sciagraph. liberæ venationis Germanicæ,
(e) Digreſſion. Juſtinian lib. 4. cap. 19.
(f) Vid. Collectanea Livonica a Patkulio edita.

Digitized by Google

tati occupandi feras renunciarent, & illud jus in Principem transferrent, quocirca non opus eſſet illi diutius immorari, præſertim, cum illos ipſos, qui maximo ardore pro venationum juribus majeſtati aſſerendis pugnant, hac in re conſentientes habeamus (*a*); Interim tamen e re erit, cogitare de removendis dubiis nonnullis, quæ ab aliis objiciuntur, vel forte objici poſſunt, ex hiſtoria, jure Longobardico & communi doctorum opinione petita. (I.) eſt, Imperatores Principibus, Epiſcopis &c. jus venandi & bannum regalem per totos Comitatus nonnunquam conceſſiſſe, quod fieri non potuiſſet in præjudicium privatorum in eo tractu habitantium, ſi illis venatio tanquam pertinens fundi competiiſſet. (II.) Multos nobiles jure venandi inveſtitos eſſe, manifeſto indicio, ſine conceſſione illam iis non competiiſſe. (III.) Jure Longobardico, quod in Germania receptum, venationem ad regalia referri & privatis interdici. Ac denique (IV.) unanimiter Doctores teſtari, de univerſali Germaniæ conſuetudine venationem ad regalia pertinere. Quod ad primum attinet, inveniuntur quidem in diplomate, quo an. 1062. Henricus Eccleſiæ Hammenburgenſi Comitis

(a) Vid. Dn. THOMASIUS ad Huberum de jure civit. lib. 2. cap. 2. n. 19. pag. 450. ubi ipſe fatetur, ſpecialem conceſſionem a principibus factam apud Germanos doceri non poſſe, cum notum ſit olim omnes ingenuos jus venandi habuiſſe, Conf. SCHNEID. diſſ. de jur. prævent. circa venat. § 10.

(b) Apud Lindenbrog. ſcriptor. rer. Germ. ſeptent. inter privileg. archieccl. Hamaburg. pag. 142 conf. diploma Caroli M. apud Baluzium pag. 418. & Ottonis Eccleſ. Osnabrug. datum apud MEIBOM. tom. I. rer. Germ. pag. 148. Henrici II. apud Haræum Annal. Brabant. & Belgii proleg. n. 3. & apud Tolner. cod. diplomatic. Palat. n. 26.

mitis Bernhardi Comitatum in pagis Emitgoa, Weſtphali & Angeri ſitum donavit, hæc verba: *Foreſtum etiam cum noſtro banno regali per omnem comitatum, iis tantum venationibus exceptis, quas aut prædeceſſores noſtri Rom. ſcilicet Imperatores vel Francorum Reges eccleſiis vel principibus per regii auctoritatem præcepti largiendo contulimus* (*b*). Verum hæc commode ita explicari poſſunt, ut iis, quæ pro libertate venandi fuſius adduximus non ſint contraria. Procul dubio enim jam antea fuit banno ferino Imperatorio munitus hic tractus, unde Imperator tantum jura, quæ ibi habuit, Eccleſiæ ceſſit, vel ſi tum demum bannitus eſt, conſenſu civium id factum eſt. Quod enim in præjudicium privatorum illis diſſentientibus nulla foreſta conſtitui potuerint, inde liquido apparet, quod in illorum conſtitutione mentionem fieri conſenſus eorum, quorum intereſt, deprehendimus. Ita cum Otto II. Eccleſiæ Mindenſi ſilvam Suntel cum banno foreſti concederet, expreſſe dicit: *hoc factum eſſe ob interventum & comprobationem Bernhardi Ducis, & fratris ſui Luitgeri, & Ailhardi Comitis aliorumque comprovincialium* (*c*). Idem obſervamus in privilegio a Conrado Salico Epiſcopo Mindenſi impertito, quo proprietate prædiorum Mindenſis Eccleſiæ in pago Entergowi ipſi foreſtum conceditur, nempe, id *factum eſſe conſenſu & collaudatione Ducis Bernhardi, & ſui fratris Ditmari, ceterorumque civium in eadem ſilva usque modo communiomem venandi habentium* (*d*). Apud Egidium GELENVM itidem in diplomate Ottonis II. dicitur: *Poteſtatem banni, quæ ſuper*

(c) Apud Piſtor. in privil. Eccleſ. Mind. privil. 3.
(d) cit. loc. privil. 4.

Digitized by Google

per eos cum populi conſenſu ad regiam pertinet poteſtatem. Non majoris momenti eſt ſecunda objectio ex inveſtitura vel conceſſione deſumta; ſi enim ad claſſem regalium eſſent referenda, quæ in feudum dantur, etiam agri, prata, paſcua &c. eo pertinerent. Qui venationibus inveſtiti ſunt utplurimum cum prædiis illas in feudum accipiunt; quo caſu, ſi illarum mentio fit in literis inveſtituræ, tanquam pertinentia fundi nobilis recenſentur. Vnde parum apte HEROLDVS (*e*) nobis opponit diploma Ottonis III. de anno 989. apud Wigul. HVNDIVM *metrop. Salisb. tom.* 1. *fol.* 136. ubi: *partem proprietatis ſuæ cum terris cultis & incultis .... piſcationibus, venationibus .... donat.* Hic enim aperte venatio tanquam terræ cultæ & incultæ &c. ad pertinentia fundi refertur. Poſſeſſores Allodiorum venationibus inveſtiri rarius deprehenditur, ſed plerumque uti ipſius prædii, ita nec venationis alium titulum allegare poſſunt, quam ſe ſuosque anteceſſores ita poſſediſſe. Quod ſi hoc inveniatur, ejus ratio videtur, quod vel in eo tractu, in quo prædium ſitum, fuerit foreſtum principis: ein gehegter Wald, a populo, conſenſu eorum, quorum intereſt, conſtitutus, in quo ut quis venari poſſit, ſine dubio conceſſio deſideratur, vel quod prædia ſint noviora, & ex ruſticis recentiori ætate nobilia & libera reddita, quapropter majoris cautionis gratia a principe venationibus ſe inveſtiri curarunt poſſeſſores, inprimis cum nonnullis in locis per noviores conſtitutiones introductum eſſet, ut qui hucusque hoc jure non eſſet uſus, der es nicht hergebracht; illo nec

(e) Obſerv. Foreſt. r. n. 76.

Digitized by Google

ſcationibus in principis fiſcum redigi debeant; Sed id tantum addam, non poſſe contra nos allegari hunc textum, ſi etiam aperte definiret venationem eſſe regale jus, quia Germanos non tangit, ſed ad jura in Italiæ regno Imperatoribus, qui id belli jure quondam ſubegerant, debita, tum præcipue ad jura fiſci regalis ſ. Cæſarii pertinet, quod clariſſimis hiſtoricorum teſtimoniis probatum dedit doctiſſ. WERLHOFIVS (*c*). Eadem reſponſio ſufficit ad elidendum quod ex §. *nemo retia 2. feud. 27. de pace tenenda* ſumitur argumentum. Ibi quidem diſpoſitum deprehendimus, quod nemo retia ſua, aut laqueos, aut quælibet inſtrumenta ad capiendas venationes tendere debeat, niſi ad urſos, apros, vel lupos capiendos; Verum quanquam concederemus eam legem favere contranitentibus, omnemque venationem privatis interdicere, quod multi negant non plane contemnendis rationibus (*d*), tamen Germanos juribus tamdiu conſervatis privare non potuit, cum non iis, ſed Italis ſit lata; quod ſi illa & Germanorum libertatem venandi reſtrinxiſſet, qui, quæſo! fieri potuiſſet, ut paulo poſt in Speculo Saxonico Friderici II. temporibus collecto, tam audacter ad libertatem natura-

(c) Vid. B. Werlhofius diſſ. de alienat. & conceſſ. jurium quæ vulgo regalia vocantur. §. 7. 8.

(d) B. Sam. Stryk. cit. loc. exiſtimat facultatem retia ponendi hic tantum ruſticis interdici, & Harprecht. cit. loc. num. 155. ſeqq. conjicit Imperatori ſermonem eſſe ſaltem de venatione in alieno, quoniam ex antecedentibus & conſequentibus appareat, tota conſtitutione nihil agi, quam ut pax ſtabiliatur, quæ quoniam per venationem in alieno ſæpius turbetur, hinc illam interdictam, neutiquam vero prohiberi cuilibet in ſuo feras capere, utpote quod turbis anſam dare non poſſit.

Digitized by Google

turalem provocetur? Nec obeſt, quod in ſequentibus temporibus jus feudale Longobardicum in Germania ſit receptum, & ita hæc conſtitutio ibi quoque vim legis obtinuerit. Etenim ſicuti omnia jura peregrina a Germanis non niſi in ſubſidium ſunt recepta (*e*), ut ſcil. inſtitutis patriis deficientibus ad ea demum recurratur, ita imprimis hoc quoad jus feudale Longobardicum locum habet. Jam vero abunde demonſtratum eſt, non deficere hic inſtituta patria, ſed illa in fundo nobili ac libero venationem regulariter permittere, quæ proinde auxilium juris Longobardici non admittunt, niſi ſumma abſurditate adſtruere velis jus principale tolli per ſubſidiarium.

Fons erroris indagatur.

§. 11. Denique (IV), quod ab autoritatibus Doctorum & communi opinione diſſentientes quærunt præſidium, quam ſtramineum ſit ac leve, cum ſupra dixerimus (*a*), hic repetere ſupervacaneus labor eſſet, quanquam nullo negotio monſtrari poſſet, etiam fruſtra communem opinionem crepari (*b*), cum nec olim defuerint viri doctiſſimi eadem nobiſcum ſentientes, nec hodie deſint. Magis ad rem erit fontes erroris indagare, & ad liquidum perducere, unde tot ingenii & eruditionis laude Celeberrimi JCti veritatem prætervideerint, & ad conſuetudinem univerſalem provocarint,

(e) Vid. Conring. de orig. jur. Germ. cap. 33. B. Sam. Stryk. uſu moderno ff. diſſ. prælim. §. 27. 28. Conf. Dn. Gundling. lib. ſing. de efficientia metus cap. 6. §. 28.

(a) Vid. Sect. II. cap. 3. §. 1.

(b) Vid. B. Strykius in præf. ad corpus juris venat. foreſt. Fritſchii. Dn. BOEHMERUS introd. ad jus ff. tit. de acquirendo rer. dom. Dn. Kreſſ. diſſ. de privil. agriculturæ apud Germ. Doctiſſ. Dn. Bilderbeck in notis über den Teutſchen Reichs-Staat Part. III. cap. 10. §. 1. n. 1.

carint, quæ nunquam in rerum natura fuit: quod ſi aliqua probabilitate fuerit monſtratum, multi, ſpero, album calculum nobis adjicient, qui alias, auctoritatis præjudicio faſcinati, mirarentur, imo riderent, in dubium vocari rem tot Illuſtrium virorum conſenſu comprobatam. Mihi ita videtur. Statim ac jus Romanum in Germaniam noſtram fuit translatum, perverſa, imo peſtilentiſſima ratio diſcendi jura, eaque ad facta hominum applicandi invaluit. Etenim Doctores juris, nil niſi Romana edocti, Germanicos mores & inſtituta patria faſtidiebant, rati ex corpore juris civilis, & quodammodo canonici, tanquam communi armamentario, & unico jurisprudentiæ fonte, quascunque regulas juſti eſſe hauriendas; Germana autem, quæ cum ignariſſimis ſciebant, ut barbara & rudia nullam mereri inquiſitionem. Sicuti vero ex hoc erroneo principio non potuerunt non innumeratæ concluſiones propullulare a vero prorſus alienæ, & confuſiones imo inextricabiles fere difficultates oriri, cum, ob diverſitatem ſtatus & morum, impoſſibile ſit quascunque leges civiles unius civitatis, etiam optimas, ad omnes ſine inconcinnitate applicare, ita imprimis illuſtre exemplum hujus rei nobis præbet diſtinctio hominum in liberos & ſervos. Etenim inter Germanorum & Romanorum ſervos inſignis deprehendebatur differentia, utpote qui non ſolum in eo diſcrepabant quod Romæ dominus ſervos domi aleret, & ad domos officia præſtanda adhiberet, in Germania autem hi plerumque ſeparatim caſas inhabitarent, & certis ſervitiis ac penſionibus præſtitis permitteretur ſervo propriis commodis inſervire, ſed etiam, quæ notas characteriſticas te-

Digitized by Google

nebant illi, ſervum ab ingenuo diſtinguentes, ea apud Germanos homines ſervilis conditionis non deprehendebantur. Non enim ſervi ejusdem juris communis, nempe connubiorum, teſtamentorum, & contractuum cum civibus Romanis erant participes, e contrario ruſtici Germanorum & matrimonia contrahebant, (niſi quod quibusdam in locis conſenſu domini opus habebant) & contractus celebrabant, quæ poſt præſtitas penſiones lucrari poterant utplurimum ſibi acquirentes; teſtamenta ante peregrini juris receptionem plane fuerunt incognita, unde nec, quod teſtamenti factione deſtituerentur, illos ſervis Romanis ſimiles reddebat. Jam vero cum JCti ejus ævi ad decempedam juris Romani quæque exigerent, & quæ ſecundum hujus placita eſſentiale ſervi conſtituebant non reperirent, factum eſt, ut ruſticos Germanorum liberos homines crederent, & contradictoria, id eſt, ſervus ingenuus ſimul vera redderentur (*c*). Hoc ſuppoſito, quæ jus Romanum circa venationem diſponit applicaturi Doctores magnam repugnantiam morum Germanicorum non potuerunt non offendere. Cum enim leges Romanæ cuilibet ingenuo venationem permitterent, apud Germanos e contrario non quosvis liberos homines venari credebant, quoniam ruſticis & civibus id interdicebatur, & ſaltem quædam perſonæ, nempe Principes ac Nobiles illam exercebant; Hi autem utplurimum (præſertim in Saxonia, ubi maximus feudorum numerus, & magna JCtorum copia fuit) cum prædiis ſuis a principibus illa erant inveſtiti. Inde ſibi perſuaſiſſe Doctores autumo conſuetudine Germaniæ naturalem libertatem occupandi feras beſtias penitus ſublatam eſſe, easque ſibi principes reſervaſſe, a quibus per conceſſionem in nobiles hoc jus derivetur; Cum tamen, ſi ſtatum Germaniæ ſatis habuiſſent cognitum, & ad illum Romana jura dextre applicaſſent, non ita magnam diſcrepantiam ſubeſſe inve-

(*c*) Ita non male VERPOORTEN de inveſtit. Allodiorum §. 44. Conf. Potgieſſer de Condit. & ſtatu ſervor. apud Germ. lib. 1. c. 3. §. 31.

inveniſſent. Sicuti enim apud Romanos non ſervi venabantur, ſed ingenui & liberi homines, ita & apud Germanos ruſticis, qui ſervilis conditionis erant, id non permittebatur; licet enim multi eorum liberti eſſent, notavimus tamen ſupra manumiſſionem, ad minimum quoad bona, non dediſſe plenam ingenuitatem, ſed tantum id tribuiſſe, ut invito domino poſſet mutare locum ruſticus. Et quanquam præter hos exſtructis urbibus etiam cives urbici in Germania inveniebantur, his tamen partim deficiebat occaſio hoc jus exercendi, cum in plateis & pomœriis non capiantur feræ, partim ipſi haut plena ingenuitatis jura ſunt adepti (*d*). Ergo quemadmodum apud Romanos, ita & in Germania ſaltem ingenui homines, id eſt, hodierni noſtri nobiles jus venandi exercebant, & ad noſtra usque tempora plerique ſervarunt.

§. 12. Sed tempus erit claudendi rivos. Quamquam enim ad plura dicenda ampliſſimus ſe aperiat campus, tamen finis imponendus eſt tractationi, quæ diſſertationis menſuram excedere haud debet. Tuum jam erit, benevole lector, judicare, quid præſtitum ſit. Ego in ſpem erigor, cum ardua & ſpinoſa ſit materia, multisque difficultatibus obſepta, quam illuſtrandam ſuſcepi, eapropter faciliorem juvenili conatui apud æquos rerum cenſores me veniam impetraturum, illosque, ſi qua in re a veri tramite aberravero, benevole recordaturos Plinianum illud: *Me in ea ætate ſcribere, in qua erroribus, ſi non laus, venia tamen parata eſt.* Epilogus

ADDENDA.

p. 21. not. m. Inprimis hic legi merentur *Anecdota Suecica* haud ita pridem gallico ſermone in lucem emiſſa. Continent hæc non ſolum egregia exempla æmulationis inter nobilitatem antiquam & novam ac plebejos, ſed firmant

 quoque

(d) Vid. ſupra Sect. I. cap. 2. §. 6. lit. I.

Digitized by Google

quoque ea, quæ p. 20. diximus, diverſos nempe nobilitatis eſſe effectus pro diverſa forma regiminis Vide quæ Axellius Oxenſtiernius, ut Regem Guſtaphum Adolphum ad conſervanda nobilitatis jura & prærogativas moveret, in medium tulit rationes p. 42 & ſeq. ut & quæ Auctor habet p. 231. Conf. quoque *Parrhaſiana* Celeberrimi CLERICI Tom. 2. p. 729 & ſeqq. Tom. 11. p. 189.

p. 27. Cæſar non niſi prægnantibus rationibus erroris arguitur. Etenim Strabo, qui poſt illum vixit, accuratius de rebus Germanorum ſcribere potuit, quæ iis temporibus jam notiores erant Romanis. Adſtipulatur illi Dion, qui lib. 38. ipſum Cæſarem cum Arioviſto prælium commiſſurum ita loquentem inducit: *Quin & magna Gallorum multitudo, qui hoſtium ſimiles ſunt, nobiſcum in pretio erunt.* In primis Cæſarem non ſatis cognitas habuiſſe res Germanicas inde manifeſtum eſt, quod in quibus is differentiam Gallorum & Germanorum ponit, quod ſcil. non habuerint Druides, ſacrificia & plures Deos Germani, ea Tacitus ſcriptor fide digniſſimus illis tribuat. vid Cluverius *German. Antiqu. lib.* 1. *cap.* 13. Denique, quod ad formam regiminis & diſtinctionem ordinum attinet, bene inter ſe conveniunt Cæſar & Tacitus. Sicuti enim hic Germanicas civitates maximam partem eſſe populares refert, ita etiam Cæſar, dum penes Druides & Equites, qui ſoli ingenui erant, curam Reipublicæ fuiſſe dicit, omnes cives de regimine participaſſe fatetur. Saltem in eo difficultas adeſt quod dicit plebem ſcil. illos quibus nil niſi obſequii gloria eſt relicta, non omnes ſervos eſſe, ſed ſervorum loco haberi, quanquam plerique in plenam ſervitutem ſe dicent nobilibus. Qua in re cum & noſtris temporibus Dd. juris ſe errore obrepi paſſi ſunt, quid mirum eſt, Cæſarem peregrinum hominem impegiſſe.

p. 29. §. 3. Tacitum per nobiles intelligere Principes & ſummos Magiſtratus ejus Germaniam attente legentes fugere nequit. Cum enim (1) cap. 13. affectare Principes

Germa-

Digitized by Google

Germanorum comitatum dixerat his verbis: *Magnaque & comitum æmulatio, quibus primus apud Principem ſuum locus: & principum, cui plurimi & acerrimi comites* &c. &c. ita poſtea pergit cap. 14. *ſi civitas in qua orti ſunt longa pace & otio torpeat; plerique nobilium adoleſcentium petunt ultro eas nationes, quæ tum bellum aliquod gerunt. Quia & ingrata genti quies, & facilius inter ancipitia clareſcunt, magnumque comitatum nonniſi vi belloque tueare. Exigunt enim principis ſui liberalitate illum bellatorem equum, illam cruentam victricemque frameam.* Refert primum Principes id dare operam, ut multis circumdentur comitibus, poſtea addit, nobiles juvenes, ut comitatum tuerentur, petere nationes, quæ bella gerunt. Apparet ni fallor clare per nobiles adoleſcentes illum principes intelligere: (2) inquit cap. 7. *Reges ex nobilitate, Duces ex virtute ſumi* Quis autem crederet in tanta nobilitatis bellicoſæ cupia ex infima plebe fuiſſe ſumtos Duces; (3) Dum cap. 13. *Inſignem nobilitatem aut magna patrum merita principis dignationem etiam adoleſcentulis aſſignare* ait, ſane Principum liberos ad nobilitatem refert, & id velle videtur, ſi majores alicujus per longam annorum ſeriem regimini præfuerint, vel pater egregie rempublicam curaverit, filio principis honorem haberi. In quo enim præſtantia nobilitatis alias conſiſtere potuiſſet, cum illa meritis contradiſtinguitur?

p. 43. Etiam cauſa æmulationis inter nobiles & patricios urbicos ex allatis patent. Quoniam enim hi mercatura ſæpius dabant operam, & cum ſervilis originis hominibus per matrimonia conjungebantur, reliqui militiæ vacantes illos comtemnere cœperunt.

p. 46. lin. 3. poſt *origine* inſere AC INDOLE.

p. 49. not. d. Conf. quoque parrhaſiana Celeber. Clerici Tom. 11. p. 161. 177. les Anecdotes de Suede p. 5.

p. 112. §. 6. Poteſtas dominica Patrisfamilias citra conceſſionem civitatis expreſſam vel tacitam non impertit jus punien-

puniendi ſervos, illorumque lites definiendi, quo etiam deſtituuntur in multis regionibus.

p. 121. Ipſe TITIVS ad Puſend. de offic. H. & G. obſ. 676. n. 2. probabile eſſe dicit, dominia privata Imperio civili eſſe antiquiora, quo ipſo deſtruit quæ ex originaria occupatione per univerſitatem deducuntur concluſiones.

THESES JVRIS ROMANI.

I. Valet transactio ſuper relictis in teſtamento teſtamenti tabulis non inſpectis.

II. Actioni ad ſupplementum legitimæ quinquennio præſcribitur.

III. Jure ff. Ceſſio in jure erat modus amittendi uſumfructum.

IV. Haud amittitur uſusfructus non utendo per modum.

V. Qui ſaltem unum teſtem producit ad juramentum ſuppletorium, non admittitur.

VI. SCto Vellejano renunciari nequit.

VII. Si res aliena pignori obligata eſt a non domino, cui dominium poſtea ſupervenit, datur utilis Serviana creditori, ſi ignoravit rem alienam eſſe.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google